DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

FEBRIBVS INTERMIT-TENTIBVS ET SPECIATIM DE TERTIANA SIMPLICI

QVAM

SVB CLEMENTISSIMI NVMINIS AVSPICIIS

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

DOMINO

ERN. AVG. CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE

IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE RELIQ.

SVB PRAESIDIO

CAROLI FRIDER. KALTSCHMIED

HILOSOPH. ET MEDICINAE DOCTOR. SERENISSIMI DVCIS SAXO-
INARIENSIS ET ISENACENSIS CONSILIARII CAMERALIS INTIMI
ERENISS. MARCHIONIS BRANDENBVRGICO - CVLMBACENSIS ET SE-
ENISS. LANDGR. HASSO-DARMSTAD. CONSIL. AVLICI, ET MEDICI,
NATOM. CHIRVRG. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORDIN. COMIT. PALAT.
CAESAR. ACAD. IMP. NATVR. CVRIOSORVM COLLEGAE, ACADEM.
ELECT. MOGVNT. SCIENTIARVM VTIL. ASSESSORIS, PHYSICI
PROVINC. IENENS. FACVLTAT. MEDICAE SENIORIS
ET H. T. DECANI

PRAECEPTORIS AETATEM COLENDI

PRO GRADV DOCTORIS

OBTINENDO

DIE XXVIIII. DECEMBR. MDCCLVI.

ERVDITORVM DISQVISITIONI OFFERT

AVCTOR

CAROLVS FRIDERICVS REHFELD

SVNDA - POMERANVS.

IENAE, LITTERIS TENNEMANNIANIS.

12

VIRO
MAGNIFICO ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO DOMINO
DOMINO
IOANNI EHRENFRIDO CHARISIO
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
SVECORVM REGIS
CONSILIARIO PROVINCIALI
SPLENDIDISSIMO
PROTO-CONSVLI
ILLVSTRIS INCLYTAE REIPVBLICAE
SVNDENSIS SENATVS
PRVDENTIA CVRA AC VIGILANTIA
LONGE MERITISSIMO
PROTO-SCHOLARCHAE
GYMNASII SVNDENSIS
SPECTATISSIMO
ETC. ETC.

§. II.

Eſt autem Febris morbus intemperiei vniuerſalis calidae, cum conſtrictione ſpaſtica generis neruoſi et vaſculoſi variaque aliarum actionum in corpore humano laeſione.

§. III.

Hic morbus (§ 2) vel ab initio ad finem vsque, quem inuaſit, affligit continuo, vel per paroxysmos crucians, inter duos quoscunque horum aegrotanti relinquit tempus, vbi actiones eiusdem non ſenſibiliter ac manifeſte laedit. Ille vocatur *Febris continua*, haec *intermittens*. Priorem vero cum innumeris eiusdem diuiſionibus, ne a ſcopo noſtro nimis recedamus, plane vlterius non attingemus.

§. IV.

Diſtinguit ſe igitur febris intermittens (§ 3) ab aliis esſentialiter in eo, quod duobus eiusdem paroxysmis interveniat tempus, in quo homo aegrotans, ob ipſam, qua decumbit, febrem, non manifeſtam actionum ſuarum ſentit laeſionem. Vocatur hoc tempus in ſcholis Medicorum: *Tempus intermisſionis*, Graecis ἀπυρεξίας. Et reſpectu huius temporis audit etiam febris haec *Intermittens* Germ. das Wechſel-Fieber. Praeterea vero, cum inter ea febrium ſymptomata, de quorum praeſentia ad febris praeſentiam plerumque concludit Medicus, nimirum incidens cum inuaſione frigus, ſubſequentem calorem naturali maiorem et pulſum praeternaturalem, in noſtra febrium ſpecie frigus non ſolum obſeruetur maius plerumque ac in reliquis, ſed et esſentiale quoddam in cuiuslibet paroxysmi initio obueniens conſtituat, hinc ſaepius occurrat ac in caeteris, vulgo nominatur: das kalte Fieber.

§. V.

Quolibet igitur tempore intermiſſionis (§ 4) finito, quamdiu morbus durat, noua ſemper redit acceſſio: et a varia hac duorum paroxyſmorum ſibi ſubſequentium diſtantia varia febris intermittens ſortita eſt nomina. Sic ſi diſtantia ab initio vnius acceſſionis ad accedentem vsque paroxysmum eiusdem febris alterum 24 circiter horis eſt aequalis, vocarunt iſtam *Quotidianam*; ſin 48, *Tertiana* audit: ſi vero diſtantia haec ad 72 circiter horas extenditur, *Quartanae* nomen accepit. Quoniam vero prolixum nimis foret, de omnibus his cum diuerſis earum cauſis, ſignis et methodo medendi ſigillatim disſerere, eis quidem in ſequentibus praemittendis operam dabimus, quae faciunt generatim ad cognoscendam febrium intermittentium naturam atque indolem, ſpecialiori vero conſideratione noſtra maxime dignam cenſuimus *Tertianam*, ceu frequentisſimarum quandam.

Scholion. Praeter has modo enarratas febrium intermittentium ſpecies quidam Auctorum mentionem adhuc faciunt de aliis, vt de *Quintana*, de *Septenaria*, qualem Celeb. Boerhaauius ipſum ſe vidisſe in Aphorismis ſuis conteſtatur, item de *Octenaria*, nec non de *Annua*, quarum idea ex idea antea enumeratarum patebit: aſt cum hae, ſi omnes dentur, inter caſus plane extraordinarios ac inconſuetos referendae ſint, paucisſimique de re medica Scriptores febrim intermittentem in plures diuidant ſpecies, quam tres iſtas, quas ſupra recenſuimus; merito nos etiam ad eandem, de qua agendum nobis erit, febrem hasce tres tantum numeramus ſpecies.

§. VI.

Tribus praecipue quilibet febris intermittentis (§. 3. 4.) paroxyſmus (niſi mors aegroti fini eiusdem praeueniat) nobis ſe ſiſtit mutationibus, quarum quaelibet diuerſa coniuncta habet ſymptomata; hasque in paroxyſmo obuenientes mutationes vocant eiusdem *Tempora* ſiue *Stadia*. Inuadente enim quolibet paroxyſmo cum praecedente oſcitatione, laſſitudine et debilitate occupat aegrotum frigus ad rigorem vsque nonnunquam auctum, variisque aliis ſtipatum ſymptomatibus, vt anxietate, reſpiratione difficili, pallore extremorum, praeſertim faciei, pulſu paruo, tardo, raro et debili, nauſea, ingente ſaepe tremore, nec non ſiti quandoque praeſente magna; vrina ſe manifeſtante pauca, aquoſa, tenui. Finitur ſaepe vomitu aut diarrhoea vel glioſo, vel pituitoſo tempus hoc, vocaturque a Medicis *Tempus* ſ. *Stadium primum, frigoris, exhorreſcentiae.* Imminuto ac ceſſante denique frigore cum ſymptomatibus, quae idem comitabantur, loco eius ſenſim ſe manifeſtat calor praeternaturalis, coniunctus cum ſymptomatibus ex calore praeternaturali ſequentibus, vbi pulſus, paruus antea, tardus, rarus ac debilis, mutatur in magnum, celerem, crebrum atque robuſtum, reſpiratio exoritur magna atque denuo difficilis, affligunt ſitis, dolor artuum, totius corporis, ac praecipue capitis, ac nonnunquam, ſi magis adhuc augetur calor, delirare etiam incipit aegrotus. Vrina vero tunc temporis emiſſa apparet rubra, flammea, malumque vt plurimum de ſe dat odorem. Alterum haec febrium intermittentium conſtituunt tempus, id quod vocatur *Tempus* ſ: *Stadium caloris, ebullitionis, efferueſcentiae.* Hoc denique excipit vltimum, forti ſudore ſe manifeſtans vel etiam diarrhoea, imminutionem ceſſationemque ſymptomatum febrilium ſ. paroxyſmi efficiens, ac finitum nil, niſi ſomnum, debilitatem ac perfectam denique

que aegro relinquens ἀπυρεξίαν, vſque dum ſimilis tragoediae huius apparet actus. Vrina vltimo hoc tempore emittitur copioſa, rubra, cocta, multo craſſoque ſedimento praedita: Ipſum vero tempus hoc ſub nomine *Temporis ſ. Stadii tertii*, *ſudoris*, *remisſionis ſymptomatum* item *deſpumationis* venit. Etſi vero haec tria in omnibus febrium intermittentium paroxysmis adpareant ſtadia, non tamen in qualibet harum ſpecie (§. 5.) aequali adſunt gradu, nec per aeque diuturnum temporis ſpatium durant; ſed pro diuerſis variarum cauſis morbificis varia adſunt et duratione et vehementia.

§. VII.

Deſcripto iam (§. 6.) toto febrium intermittentium circuitu cum eiusdem praecipuis, ſubſequentibus ſeſe, mutationibus explicandum nunc nobis erit, quaenam mutationum talium fuerit ratio. Incipiamus igitur iam de Stadio acceſſionis primo, huiusque conſideremus cauſam; quae ſi ita ſit comparata, vt ſubſequentia ad explicanda Stadia haud videatur inepta, cauſam conſtituet omnium febrium intermittentium communem, proximam.

§. VIII.

Cum omnis calor corporis noſtri fundatus ſit in ſufficientium particularum ignearum liberatarum, in motu conſtitutarum in partibus corporis noſtri praeſentia, hinc calor decens in eodem conſeruandus requirat, vt tanta circiter quantitate ſemper reſtituantur partes igneae, quanta ex ſuperficie eiusdem abeunt; (per princ. Phyſic. et Phyſiol.) contrarium caloris, ſiue frigus adparebit, quotiescunque tanta fere in ſuperficiem eius reſtitutio fieri nequit, quantus earum in corpora contigua contingit tranſitus; atque id fieri poteſt:

1. ſi tranſitus oritur maior, reſtitutione manente fere eadem.
2. ſi tranſitus quidem non ſenſibiliter augetur, aſt reſtitutio imminuitur.
3. ſi ſub tranſitu maiori ſimul reſtitutio imminuitur.

§. VIIII.

Primum (§. 8. n. 1.) quia requirit corpora maiori gradu frigida ſuperficiei corporis humani adplicata atque contigua, mutata cum iis, quae antea aderant, (alias enim ignis tranſitus in maiorem mutari nequit, per princ. Phyſic.) frigus autem in intermittentibus aegrotum inuadit, etſi corpus eiusdem non ambiant vel eidem adplicentur corpora tanto gradu frigida, vt maiorem ex eo aſſumant ignis quantitatem, ac naturaliter circiter reſtitui debet; (affligunt enim etiam aeſtiuo tempore et in hypocauſto calefacto, nec non corpore veſtimentis, imo lectis, calorem alias conſeruantibus, tecto) id cauſam reſtitutionis partium ignearum in ſuperficiem corporis imminutae conſtantem non efficiet in febribus intermittentibus. Eandem ob rem tertia (§. 8. n. 3.) quoque non obtinebit locum, niſi corporibus frigidioribus circumdatum ſimul corpus noſtrum ſit. Vt igitur, tranſitu manente eadem fere reſtitutio impediatur, (§. 8. n. 2.) neceſſe eſt.

§. X.

Cum omnis in ſuperficiem corporis noſtri partium ignearum proxime fiat reſtitutio, ex iis, quae in vaſis extremis cutaneis mouentur, fluidis, quatenus haec particulis igneis liberatis et in motu conſtitutis praedita ſunt; (per princ. Phyſiol.) reſtitutio particularum ignearum in ſuperficiem corporis noſtri impedita (§. 9.) neceſſario requiret impeditum fluidorum per vaſa vltima cutanea tranſi-

tum;

tum; atque talem igitur etiam poſcet febrium intermittentium frigus. (§. 6. 8. 9.)

§. XI.

Tranſitum hunc per vaſa vltima cutanea impeditum (§. 10.) actu adesſe in frigore morbi noſtri, (§. 6.) ipſa probat frigoris perceptio: ea enim ſine conſtrictione fibrarum, hinc et vaſorum cutaneorum praeternaturali, haec vero ſine tranſitu fluidorum per ea impedito ſ. obſtructione cogitari nequit. Quod vero perceptionem frigoris det nobis conſtrictio fibrarum cutanearum, ratio erit in procliui. Etſi enim vulgo dicimus, quod ſentiamus frigus; id tamen, quia conſiſtit in defectu partium ignearum, ſentiri nequit: Quis enim vnquam affirmabit, entia ſe ſentiisſe, quae non adſunt, ſiue negatiua? Aliud igitur quoddam ſentire tunc debemus: ac cum perceptio frigoris ad ſenſationes pertineat externas, nulla vero in nobis oriri poſſit externa ſenſatio, niſi a mutatione in organo facta ſenſorio; (per princ. Phyſiol.) iſtud, quod frigoris nobis largitur perceptionem, erit mutatio in organo quodam ſenſorio producta. Cum igitur prima ac praecipua quaedam ab abeuntibus maiori in quantitate ex ſuperficie corporis noſtri particulis igneis producta mutatio conſiſtat in conſtrictione fibrarum cutanearum praeternaturali, (per princ. Pathol.) cutis vero primarium quoddam conſtituat inter organa ſenſoria, (per princ. Anat. et Phyſiol.) iſtud, quod frigoris perceptionem nobis conciliat, erit conſtrictio fibrarum cutanearum.

§. XII.

Demonſtrauimus hactenus, (§. 8-11.) tranſitum fluidorum per vaſa vltima cutanea impeditum et conſtrictionem vaſorum horum adeſſe debere in frigore febrium in-

 ter-

termittentium. Atque hae duae mutationes (§. 10. 11.) tantam fere inter ſe habent affinitatem, vt vix vna earum cogitari poterit in ſuperficie corporis noſtri praeſens, quin locum ſimul inueniat altera. Poſito enim fluidorum per vaſa vltima cutanea impedito tranſitu, vt decens particularum ignearum in ſuperficiem corporis noſtri impediatur reſtitutio, fibris cutaneis non redduntur eae, quas ſemper amittunt, particulae igneae; quibus ſecedentibus, cum antea ceu ſpecifice leuiores, particularum, quae fibras has conſtituunt, ſpecifice grauiorum impediebant contactum, hae nunc magis ad ſe inuicem accedunt, quo facto fibrae maius adquirunt robur phyſicum et ſeſe conſtringent praeternaturaliter, atque cauum vaſorum, quorum conſtituunt parietes, praeternaturaliter coarctant. Coarctatione contra ſ. conſtrictione vaſorum cutaneorum facta, fluidis transeuntibus anguſtatur via, hinc eorum etiam mox impeditus ſequitur tranſitus ſ. obſtructio. Videamus igitur iam, quaenam horum phaenomenorum in febrium intermittentium frigore adſit cauſa, et adparebit cauſa frigoris mediata, omnium intermittentium communis.

§. XIII.

Extra corpus non adeſſe cauſam, mutationes has in ſuperficie corporis quae efficiat, quando aegrum inuadit frigus, hinc extra corpus etiam non haerere frigoris noſtri cauſam mediatam, probatione multa non eget, dum ſaepiſſime frigus febrile noſtrum aegroto ſuperueniat, quamuis non mutentur corpora corpus eiusdem circumdantia. In ipſo igitur corpore vt haereat cauſa frigoris, nimirum conſtrictionis et obſtructionis vaſorum cutaneorum ſ. tranſitus fluidorum per ea impediti, ſequitur. Cum igitur ad tranſitum huncce naturali modo fientem requiratur nil, niſi ipſa fluida naturaliter conſtituta, vis pellens cordis et arteriarum ſufficiens et decens vaſorum ipſorum cutaneorum

aper-

apertura; ratio tranſitus fluidorum per vaſa haec impediti haerere debet

1) vel in ipſis fluidis vitioſe conſtitutis,
2) vel in vi cordis et arteriarum pellente ſ: motu progresſiuo imminuto.
3) vel in vaſis ipſis praeternaturaliter ſeſe conſtringentibus.
4) vel in pluribus horum ſimul.

§. XIIII.

Motus progresſiuus ſ. vis pellens cordis et arteriarum imminuta (§. 13. n. 2.) locum hic non inueniet. Sequeretur enim tunc, per medicamenta vim hancce pellentem augentia ſiue per ſtimulantia calorem reſtitui poſſe naturalem. Quanto damno vero vſurpentur talia, Celeberr. Practicorum ſcripta confirmant, cum, exhibitis iisdem, non modo non ſtatim tollatur frigus, ſed et poſtea calor intolerabilis, imo nonnunquam febres inflammatoriae periculoſisſimae accendantur. Conſtrictio vaſorum cutaneorum p. n. (§. 13. n. 3.) ſumme quidem etiam hic accuſanda veniet, dum in quolibet corporis noſtri, quod percipimus, frigore, non praeſens eſſe nequit, tranſitumque fluidorum per vaſa extrema cutanea impeditum inſigniter auget; (§. 11. 12.) attamen cum haec, niſi a cauſa externa, quae vero hic non adeſt, (§. 9. 13.) vix ſine fluidis vitioſe conſtitutis cogitari posſit, in vaſis et fluidis ſimul (§. 13. n. 4.) haerere cauſam obſtructionis vaſorum vltimorum cutaneorum, dicere quidem haud plane inepte posſumus; aſt primaria tamen frigoris noſtri cauſa haerebit in fluidis per vaſa cutanea haec tranſeuntibus, quatenus haec vitioſam habent conſtitutionem. (§. 13. n. 1.) Quoniam vero nimis forem prolixus, ſi omnes proferre vellem modos, quibus peccare posſunt fluida, et ex his-

ce conſideratis determinarem et oſtenderem demum, quale adeſſe debeat in fluidis, pro frigore intermittentium formanda, vitium; ſufficiat adducere tantum rationes, ex quibus ſumma cum probabilitate concludi poteſt, vitium tale eſſe viſcedinem in humoribus praeſentem; quae tamen, vti infra (§. 16.) patebit, acrimonia quadam coniuncta eſſe debet.

§. XV.

Probant vero tale viſcidum (§. 14.) in febribus intermittentibus oriundis praeſens inter alia:

1. quod iſtud ita ſit comparatum, vt difficulter per vaſa extrema tranſeat, (§. 10.) ac facillime ob paucas, quibus gaudet, in motu conſtitutas particulas igneas, reſtitutionem harum in ſuperficiem corporis impediat (§. 9.) conſtrictionemque producat.

2. quod febres intermittentes plerumque ſequantur vitia diaetae, quibus tale generatur in Mſea viſcidum, ac copioſiſſimae obſeruentur iis in regionibus, vbi victus, vel aer inclinat ad tale conciliandum humoribus vitium.

3. quod, caetera Stadia (§. 6.) quomodo fiant, ex adſumto eo haud inepte fluat, vti patebit in ſequentibus.

4. quod ad explicandum tempus intermiſſionis (§. 4.) et acceſſionis reditum optime etiam ſit aptum. (§. 31. 32.).

5. quod remedia viſcidi reſoluentia, cum diſtinctione tamen atque iudicio vſurpata, in omnibus optimo cum ſucceſſu adhibeantur febribus intermittentibus.

§. XVI.

§. XVI.

Quamuis vero id viſcidum (§. 14. 15.) vaſa vltima cutanea obſtruens in omnibus adſit febribus intermittentibus, tanquam cauſa eorum morbifica; tota tamen Mſea talis eſſe nequit; ex hac enim frigus potius ſequeretur ſemper continuans: Praeterea, quia nouus oritur paroxyſmus, quamuis non noua deferatur in corpus materia morbifica, tempore ἀπυρεξίας (§. 4.) eadem adeſſe etiam debet, modo non tanta ſemper adſit quantitate vel qualitate, vt ad paroxyſmum producendum ſufficiat: nec non, quia frigus ſequitur calor p. n. (§. 6.) hic vero ſine reſolutione partium ſulphurearum in Mſea praeternaturali, hinc partium actiuiorum praeſentia, cogitari nequit, tales partes actiuae vero, durante frigore, in corpus etiam non deferantur, hae ſine dubio antea iam adſuere, modo cum viſcido cohaerentes actionem exercere nequeant; ſi igitur a viſcido, cui iunctae ſunt, liberantur, id, quoad partes ſaltem, reſolui prius debet; quae materiae morbificae reſolutio ideo etiam eſt neceſſaria, quia iſta ſub fine paroxyſmi, magnam ſaltim ad partem, excernitur, (§. 30.) ad euacuationem vero pertinet eiusdem reſolutio, vt aptitudinem ad euacuandum adquirat. Ex quibus omnibus concludimus, viſcidum in intermittentibus (§. 3.) praeſens

1. certa tantum quantitate MSeae eſſe commixtum.
2. ſemper quidem adeſſe praeſens, quamdiu morbus durat; at non omni, ſed certa tantum quantitate ac qualitate ad producendum paroxyſmum eſſe actiuum, atque
3. non modo partibus actiuioribus eſſe iunctum, ſed et
4. non difficulter admodum eſſe reſolubile.

§. XVII.

§. XVII.

Atque haec materia morbifica, cum deſcriptis eiusdem qualitatibus (§ 16. n. 1. 2. 3. 4.) cum totum omnium circuitum, omniumque eiusdem ſymptomatum geneſin explicandam inſeruiat, in omnibus aderit febribus intermittentibus. Quod enim in diuerſis harum ſpeciebus (§ 5) paroxysmus diuerſo redeat tempore, variae adſit durationis, varia connexorum ſymptomatum ſit vehementia, imo, quod in quibusdam peculiaria obueniant ſymptomata, in aliis non praeſentia, vt in Tertiana delirium et vomitus bilioſus, in Quartana vomitus pituitoſus, etc. omnia haec a varia quantitate et qualitate vel viscedinis vel acrimoniae deriuanda erunt. Hoc loco explicandum tantum nobis erit, quomodo propter hanc materiam morbificam (§ 16) generatim producatur cum ſymptomatibus ſuis circuitus.

§. XVIII.

Cum materia morbifica febrium intermittentium viscida, acrimonia iuncta, (§ 16) quamuis iam haereat in corpore, ſub quauis tamen quantitate et qualitate paroxysmum inducere nequeat; (ibid.) pro formanda acceſſione augmentum vt adquirat, vel ratione quantitatis, vel qualitatis, vel vtrarumque, neceſſe eſt. Aucto igitur hoc viscido ita, vt difficulter per vaſa tranſeat minima, ad vaſa cutanea extrema delatum, ob motum eius ſemper tardiorem factum, facillime in iisdem ſtagnabit, ibique haerens, quia ipſum calorem ſuum, quo gaudet, cito amittit, particulas igneas, e parietibus ſemper in aerem ſuperficiei corporis contiguum abeuntes, iisdem reddere nequit; hinc ſtatim ſequitur, ac ab ipſa irritante acrimonia materiae morbificae conciliatur praeternaturalis atque ſpasmodica eorum contractio, humorumque ſtagnantium et circa vaſa extrema haerentium maior iam inſpisſatio, vnde

de ſtaſis fluidorum viſcidorum, hinc et frigus inſigniter iam iuuatur atque augetur (§ 12). Conciliabuntur hinc tam defectus partium ignearum ſ. frigus in ſuperficie corporis, quam ipſa frigoris perceptio (§ 8-11).

§. XVIIII.

Atque ex hisce dictis patebit:

1. Frigus id ſupponere quidem ſtaſin fluidorum in vaſis cutaneis extremis; minime vero exinde ſequitur, in omni vaſorum cutaneorum genere eſse eandem. In vaſis enim tantum lymphaticis vel ad ſummum ſeroſis aderit ſtaſis, non vero ad vaſa vsque ſanguifera continuabit eadem; in hisce enim praeſens inflammationem potius ipſa efficeret, non frigus.
2. Cum ipſa vaſorum extremorum ſpasmodica conſtrictio ab acrimonia materiae morbificae irritante non poſsit non augeri admodum, patet, quare in febribus iis intermittentibus, vbi acrimonia maior ſe manifeſtat, non adeo tenaciore peccante viscedine, frigus aeger ſentiat haud parum validum.

§. XX.

Quamuis vero ſtaſis humorum viscidorum in vaſis extremis cutaneis horumque conſtrictio ſpasmodica frigus id efficiat (§ 8-11. 18.), nulla tamen ſuadet ratio, in ſolis his euenire eadem. Cum enim primariam ſtaſeos huius cauſam ſuppeditet viscidum, acri actiuo iunctum (§ 14), aeque fere difficulter etiam per alia id tranſibit vaſa, eadem anguſtia et grauitate ſpecifica cum vaſis cutaneis vltimis gaudentia; atque eueniente in vaſis extremis cutaneis conſtrictione ſpasmodica, eadem haec continuabit etiam in reliquis, cum vaſis cutaneis conſentientibus: in

his

his tamen, ob particulas igneas copioſiſſime ſecedentes, mutationes hae non poſſe non videntur eſſe maximae.

§. XXI.

Praecedent tamen, priusquam augmentum tale adquiſiuit materia morbifica, vt perfecte ſtagnet, difficilis eiusdem per vaſa minima tranſitus motusque Mſeae tardior; hinc imminuitur ſecretio ſpirituum, oriturque paroxysmum praecedens laſſitudo atque debilitas, ac aliqualiter in vaſis minutiſſimis debilioribus ſtagnans, ad glandularum vaſa in ore et faucibus diſperſarum perueniens, hae inde extenſae muſculos oris dilatatores premunt, ad actionem ſtimulant oscitationemque producunt. Poſita vero iam ſtaſi in vaſis extremis, praecipue cutaneis, harumque conſtrictione ſpasmodica (§ 18. 20), adparebunt etiam ſenſim reliqua Stadii huius primi Symptomata. Cum igitur per arteriam magnam eiusque ramos verſus haec loca obſtructa moueatur ſanguis, facta ſtaſi, ſanguis in arteria magna eiusque ramis haerens, quorum extremitates ſunt obſtructae, euacuari decenter nequit, hinc cordi maiorem dat reſiſtentiam; id quod eo magis iam euenire debet, quia conſtrictio extremorum, in omnibus arteriis, excepta pulmonali, ob conſenſum cum extremis continuat: (§ 20) Quoniam vero venae eum in finem datae ſunt, vt ſanguinem ab extremitatibus verſus cor reuehant, hae vero, excepta vena portae, (quae huc autem non pertinet) quo magis cordi propinquae ſunt, eo capaciores fiunt; non poterit non ſanguis in iisdem haerens libere refluere, quem refluxum eo magis etiam determinat conſtrictio earum ſpasmodica cum extremis conſentiens (§ 20). Praeternaturaliter igitur accumulatus hoc in ſtadio primo cum haereat ſanguis verſus cor et in pulmonibus, atque cor ob reſiſtentiam, quam vbique ſentit, decenter eiaculare eundem

dem nequeat, neceſſario orientur anxietas, reſpiratio difficilis pulſusque paruus; et quia pauca iſta ſanguinis quantitas, quae a parua hacce arteriarum conſtrictione propellitur per extremitates earum eas, quae, quamuis conſtrictae, attamen apertae adhuc ſunt, tardius redit ad cor, nec non ob impeditam ea propter ſecretionem, hinc et influxum ſpirituum in cor et arterias, haec naturali vigore ſuo contrahere ſeſe nequeunt; pulſus iſte non poterit non fieri et tardus et rarus et debilis (§. 6.).

§. XXII.

Color faciei ac cutis naturaliter rubescens ſine dubio dependet a transparente per teneram epidermidem vaſorumque parietes ſanguine rubicundo, vaſa iſta replente extrema cutanea: Cum igitur partim propter conſtrictionem ipſorum vaſorum, (§. 11. 18.) partim ob motum progresſiuum ſanguinis debilem (§. 21.) vaſa haec ſanguine rubicundo repleta esſe nequeant; color hic cutis, praeſertim in facie praeſens naturaliter, omnino mutabitur in pallidum.

§. XXIII.

Cum vero in omnibus arteriae magnae continuationibus ſpasmodica vaſorum extremorum continuet conſtrictio, (§. 20.) in vaſis renum arterioſis nihilominus, ac in aliis, eadem etiam obtinebit. Hinc cum hoc tempore non ſolum minor vaſorum, vrinam ſecernentium, ſit apertura, ſed et vis pellens cordis et arteriarum ſit imminuta, (§. 21.) hae autem ſufficientes neceſſario requirantur ad ſecretionem quamcunque, non poterit non vrinae imminuta esſe ſecretio, hinc vrina reddi pauca: et quoniam color vrinae naturalis dependet a reſolutis pro ſtatu naturali in Mſea partibus ſulphureis, (per princ. Chim. et

Semiot.) harum vero ob motum progreſsiuum, hinc et inteſtinum naturali minorem minor contingat in Mſea reſolutio; naturalem ſuum, quo gaudet, colorem vrina habere nequit citrinum, ſed intuenti adparebit voſa, eritque tenuis.

§. XXIIII.

Atque eandem ſane ob rationem (§. 20.) ſitis, nauſea et vomitus quomodo oriantur, perſpicimus. Praeſente enim conſtrictione ſpasmodica ac ſtaſi fluidorum vitioſorum in vaſis exhalantibus, in cauitatem oris, faucium atque ventriculi terminatis, glandulisque ibidem reperiundis, (§. 20.) neceſſario impeditur fluidorum lymphaticorum, haec loca naturaliter humectantium, ſe-et excretio. Quodſi igitur vel propter tenaciorem in humoribus viscedinem, vel ob acrimoniam in iisdem maiorem, ipſam hanc iuuantem ſtricturam, (§. 19.) talis tantaque in iisdem euaſerit ſtaſis atque ſpasmodica conſtrictio, vt fluidorum humectantium admodum impediatur ſecretio atque exhalatio; quid? quod praeternaturalis in cauis hisce oriatur ſiccitas. Haec igitur cum ſitis cauſam conſtituat proximam, (per princ. Path.) ſatis luculenter patebit nobis ratio, quare nonnunquam in febrium intermittentium ſtadio etiam primo tale ſe manifeſtet ſymptoma.

§. XXV.

A conſtrictione ſpasmodica vaſorum minimorum extremorum in faucibus atque ventriculo, et ſtagnantibus in glandulis eiusdem, quae inde expanduntur, humoribus viscidis magis vel minus acribus, nec non a ſaburra, in cauo ventriculi, propter praecedentia diaetae vitia, collecta, (qualis, vti patebit ex ſequentibus, plerumque adeſt in febribus intermittentibus) non poteſt non irritari etiam

ad

ad contractionem praeternaturalem ſtomachus, adparebitque ſymptoma, quod vocamus nauſeam; expedita vero dein exiſtente in glandulis hisce ſtaſi, a collectis in iisdem ob ipſam ſtaſin atque conſtrictionem, copioſeque profluentibus per vaſa excretoria dilatata denique humoribus, ſordes reddentur iam mobiles, hinc, irritatis ſimul ob conſenſum diaphragmate musculisue abdominis, cum conuulſiua horum contractione ſequitur ſubitanea contentorum in ventriculo per os expulſio, ſ. vomitus, qui, tam pro variis in ipſo cauo ventriculi haerentibus ſordibus, quam pro variis in glandulis eiusdem ſtagnantibus humoribus vitioſis, reddetur varius. Quodſi vero in ductibus excretoriis glandularum inteſtinalium vel et in ipſis his glandulis eueniat obſtructio, et ſubſequens eorum dilatatio; expeditam obſtructionem ſequetur maior liquidorum in canalem inteſtinorum confluentium copia, quam naturaliter abſorbetur, hinc irritatione ſimul ob materiam acrem et viscidam facta, eueniet excretio aluina naturali copioſior ac liquidior, hinc diarrhoea. Cum vero his vtrisque euacuationibus partes euacuentur morboſae, ſ. materiae morbificae, partim eius, quae paroxysmum iamiam induxit, partim illius, quae, ex cauis hisce ventriculi et inteſtinorum in ſanguinem demum abiens, nouam producere acceſſionem poteſt, (vid infra §. 33.) hae potius erunt euacuationes criticae, quam ſymptomaticae, hinc minime intempeſtiue erunt coercendae, ſed potius leniendae et adiuuandae. Sub fine tamen demum frigoris, ſi adſunt, adparebunt, hinc etiam tum demum expedietur ſtaſis ſ. obſtructio, cuius rei in eo videtur haerere ratio, quod

1. tunc maior iam facta ſit vaſorum ſe-et excretoriorum, propter vim cordis et arteriarum in parietes nunc magis ſe exſerentem et fluidum a tergo premens, expanſio, hinc fortior etiam iam adſit ad contractionem et ſtagnantium expulſionem ſtimulus.

 2. quod

2. Quod tum demum extremitates horum vaſorum conſtrictae atque obſtructae a ſpasmo relaxentur, de quo infra (§. 27. Schol.) plura erunt dicenda.

§. XXVI.

Supereſt adhuc inter Symptomata, Stadium hoc primum concomitantia, explicanda Tremor. (§. 6.) Facile etiam huius eruenda erit ratio. Cum enim fluida circa vaſa extrema cutanea haerentia, fiente ſtaſi et conſtrictione in iisdem ſpaſtica, ob particularum ignearum ſecesſum, magis inſpisſentur, (§. 18.) per conſtrictionem ipſam vero ſpasmodicam et motum ſanguinis progresſiuum deriuentur et redeant verſus cor; (§. 21.) non posſunt non misceri ſanguini fluxiliori adhuc, iſta magis iam inſpisſata fluida, hinc Mſea inaequalem adquirere conſiſtentiam. Cum igitur eadem inaequalem etiam efficiat in musculorum caua ſanguinis influxum, hic vero valeat producere tremorem, (per princ. Pathol.) quid? quod ipſe oriatur hoc Stadio tremor.

§. XXVII.

Explicato hactenus (§. 18-26.) Stadio febrium intermittentium primo cum eiusdem ſymptomatibus, quamuis haec partim propter conſtrictionem vaſorum, partim propter obſtructionem et ſtaſin in vaſis extremis cutaneis et aliis magis vel minus vehementem, vel maiori vel minori adfuerint gradu; per aliquod tamen tempus continuata cesſabunt vel prius vel tardius. Nam

1. per vaſa minora aperta reliqua celerius iam mouebitur ſanguis ac antea. (per princ. hydraul.) Omnes enim arteriarum in venas terminationes obſtructae esſe nequeunt; alias enim circulatio, hinc et vita cesſaret.

2. per

2. per eandem hanc auctam celeritatem (n. 1.) augetur et motus progreſsiuus et inteſtinus; quo facto
3. ex arteriis maioribus repletis (§. 21.) maior iam transfertur in venas non decenter repletas ſanguinis quantitas; hinc
4. cor ſenſim ſenſimque minorem adquirit reſiſtentiam, et quolibet fere ictu liberius atque validius euacuare ſeſe poteſt atque contrahere.
5. Quia ob transpirationem per vaſa cutanea impeditam tempore frigoris inſenſibilem, partes acres actiuae, quae alias hancce per viam euacuarentur, remanent, hae maiorem etiam in Mſea ſenſim incipient reſolutionem.
6. Reſoluitur idcirco paulatim etiam materia morbifica; (§. 16.) vnde partes actiuiores huic inhaerentes redduntur liberiores, nouamque iam reſolutionis in Msea faciunt cauſam.
7. Praeterea cum vaſa ipſa arterioſa, quorum extremitates ſunt obſtructae, obſtructione praeſente, maiorem iam patiantur expanſionem, (dum impetus fluidorum totus nunc exſerit ſe in parietes,) ſubſequens etiam horum contractio maior erit ac fortior.
8. Hinc non posſunt non motus inteſtinus pariter ac progresſiuus, qui antea particulariter iam erat auctus, (n. 1.) vniuerſales euadere ac praeternaturales.
9. Praeternaturalis igitur in tota Mſea fit reſolutio; hinc et partium ſulphurearum, et inde dependens liberatio ignearum praeternaturale capiunt incrementum.
10. Quamuis itaque quidem non ſtatim euacuatur materia morbifica, (aptitudinem enim non mox adquirit ad excretionem) imminuitur tamen atque cesſabit vaſorum omnium conſtrictio ſpasmodica et ſtaſis: (§. 18. 20.) Copioſe enim liberatae in Mſea particulae igneae copioſe etiam tranſibunt in parietes vaſorum a ſpasmo conſtrictorum, hinc, reſtitutis particulis ſpecifice le-

uioribus

uioribus, grauiores fibrarum partes a ſe inuicem iterum recedent et ſequetur earum relaxatio, hinc ceſſat conſtrictio ſpaſtica; cumque vis cordis et arteriarum ad expediendas iam ſufficiet ſtaſes, (n. 1-8.) ceſſabunt etiam hae ipſae. Hinc

11. ceſſabit et frigus et frigoris perceptio; (§. 18.) calor contra, a liberatione et motu partium ignearum dependens praeternaturale omnino adquiret incrementum.

SCH. Diximus quidem (n. 10.) omnium vaſorum ſpaſtice conſtrictorum contingere relaxationem; attamen non omnia poterunt relaxari ſimul: ſed ea, in quibus tantus non erat particularum ignearum defectus, ac in aliis, citius omnino liberantur a ſpasmo. Atque hinc eſſe videtur, quod vaſa ventriculi et inteſtinorum conſtricta citius relaxentur atque cutanea, hinc vomitus et diarrhoea adpareant, quum adhuc ſentiatur frigus. (§. 24. 11.) Quamuis itaque dictae euacuationes ad initium ſtadii ſecundi aeque ac ad finem ſtadii primi referri poſſent: cum tamen, contingentibus iisdem, conſtrictio fibrarum cutanearum nondum ceſſauerit, hinc adſit adhuc perceptio frigoris, ſtadio primo ſ. frigoris easdem adhuc adnumerarunt Medici.

§. XXVIII.

Exorto iam poſt frigus calore p. n. aucto, (§. 27.) aderit ſtadium febrium intermittentium ſecundum, adparebuntque eiusdem ſymptomata. (§. 6.) Cum igitur non ſolum ob reſolutionem p. n. et turgescentiam in Mſea magis expandantur vaſa, hinc fortior arterioſorum ſubſequatur conſtrictio; ſed et, partim ob reſiſtentiam in vaſis minimis ſ. extremitatibus iam ſublatam (§. 27. n. 10.) partim ob

ipſam

ipſam a materia morbifica reſoluta et actiuiore reddita (§. 27. n. 6.) vaſorum irritationem celerius iam moueatur ſanguis; maior etiam ex ſanguine iam reſoluto celeriusque moto ſecernatur ſpirituum quantitas: non poteſt non pulſus antea paruus, tardus, rarus et debilis (§. 21.) mutari nunc in magnum, celerem, crebrum et validum. (§. 6.) Quia vero cordis euacuatio decens, ceſſante frigore, non amplius ita impeditur, ac antea, (§. 27. n. 3. 4.) ceſſabunt etiam ſenſim, incipiente calore, anxietas et reſpiratio difficilis: (§. 21.) aſt cum ob calorem mox ſumme auctum, vaſaque p. n. ob eundem expanſa, et ingens requiratur in pulmonibus refrigerium, et difficilis per eosdem contingat denuo tranſitus; (§. 27.) reſpiratio adparebit magna, laborioſa ac denuo difficilis. (§. 6.)

§. XXVIIII.

Ceſſabunt etiam, ſublata ſpasmodica vaſorum' conſtrictione, reliqua ob eandem exorta ſymptomata, (§. 22. ſeqq.) aliaque loco eorum euenient, a calore praeternaturali et expanſione vaſorum deriuanda. Pallidus itaque faciei ac cutis color (§. 22.) mutabitur in rubrum, dum vaſa magis expanſa (§. 28.) liberius iam intrat ſanguis. Vrina non adparebit amplius pauca, aquoſa ac tenuis; (§. 23.) ſed maiori non ſolum ob vaſa expanſa et motum Mſeae celeriorem ſecerni iam poterit quantitate, ſed et, cum reſolutio partium ſulphurearum praeternaturalis iam fiat in Mſea, (§. 27. n. 9.) vrinae color iam adparebit naturali ſaturatior, flammea, rubra; ac ſi ingens eueniat partium ſulphurearum reſolutio, foetorem ipſa habebit coniunctum. (§. 6. 23.) Sitis vero, in praecedente ſtadio ſiue adfuerit, ſiue minus; in hoc tamen ſtadio, quia ob reſolutionem et calorem maiorem, hinc humidi fluidioris diſſipationem ne-

ceſſario magna oritur in ore et faucibus ſiccitas, non poterit non adfligi aegrotum ingens. (§. 6. 24.)

§. XXX.

Praeter haec, cum omnium fere vaſorum, hinc et praecedente ſtadio ſpasmodice conſtrictorum, indeque debilitatorum, ſubitanea, fortior ac praeternaturalis fiat nunc expanſio, (§. 27. 28.) ſubitaneam etiam tenſionem fibrae patientur ſenſiles, atque cum haec cauſam doloris conſtituat proximam, (per princ. Path.) patet, cur dolor artuum, imo totius corporis, ſtadii huius ſit ſymptoma. Quoniam tamen in capite, refluxu ſanguinis ex eodem propter difficilem per pulmones tranſitum (§. 28.) impedito, maior omnino fibrarum ſenſibilium contingit extenſio; non poterit non maximus in eodem percipi dolor. (§. 6.) Quodſi vero calor hic praeternaturalis tantum in modum augeatur, vt impetuoſe ſanguis vaſa cerebri extendat eaque irruat, facile, ob irritationem in ipſo hinc factam cerebro, producuntur in aegroto praeter voluntatem eiusdem ideae, quae cauſis externis minus reſpondent; atque adparebit ratio, quare quandoque in febrium intermittentium ſtadio caloris criantur deliria.

§. XXXI.

Sequitur iam ſtadium tertium ſiue remisſionis ſymptomatum. (§. 6. Cum igitur ſudore forti, vrina copioſa, nec non diarrhoea nonnunquam iſtud ſe manifeſtet, (ibid.) hisque peractis euacuationibus, ſymptomatum, paroxysmum concomitantium, notabilis ſequatur remisſio, immo ceſſatio, (§. 3. 4. 6.) euacuationes iſtae ſymptomaticae eſſe nequeunt, ſed id, quod ita copioſe excernitur, materiam continebit morbificam, i. e. euacuationes hae fuere criticae. Cum igitur ad omnem euacuationem materiae

morbi-

morbificae requiratur nil, niſi aptitudo eiusdem ad excretionem, decens vaſorum, quibus excretio fieri debet, apertura, et vis pellens cordis et arteriarum ſufficiens; in ſtadio vero febris intermittentis ſecundo

1) propter reſolutionem totius Mſeae reſoluatur non ſolum materia morbifica, hinc per diutius continuatam eius reſolutionem, aptitudinem (maximam ſaltim ad partem) eadem adquirat ad euacuationem; (§. 27. n. 6.) ſed et

2) tam tempore caloris vaſorum omnium hinc et excretoriorum fiat expanſio, quam tempore frigoris propter obſtructionem expandantur vaſa, in quorum extremitatibus aderat obſtructio; (§. 27. 25.) nec non

3) vis cordis et arteriarum pellens inſigniter augeatur, (§. 27. 28.)

hinc omnia adſint ad eiusmodi excretionem requiſita; non poterit non actu (maximam ſaltem ad partem) euacuari materia morbifica: (§. 16.) quae excretio, etſi fere fiat vbique, vbi excretiones naturaliter contingunt, quia omnia fere aperiuntur vaſa excretoria; maxime tamen, experientia teſte, plerumque per corporis ſuperficiem, i. e. per vaſa cutis, quandoque et per vaſa inteſtinalia abſoluitur. Vrina igitur hoc emiſſo tempore, cum huius ſecretio praecipuarum etiam quaedam ſit, quae naturaliter contingunt ex Mſea, non ſolum erit multa et copioſa, ſed et partes ſimul commixtas iam habere poterit reſolutae in Mſea materiae morbificae; vnde fit, vt ſedimentum vrina habeat multum craſſumque. (§. 6.)

§. XXXII.

Euacuata itaque hoc modo materia morbifica, (§. 31.) cum neque adſit amplius cauſa reſolutionis maioris neque irritationis atque ſtimuli vaſorum in Mſea, ceſſabit etiam

 plena-

plenarie et motus inteſtini et progreſſiui praeternaturale illud augmentum, (§. 27. 28.) nec non propter hunc et ipſam materiam morbificam producta ſymptomata. Quamuis autem per ipſum paroxysmum ingens quidem partium noxiarum concilietur reſolutio ſtaſiumque expeditio; attamen, per conſtrictionem ſpasmodicam vaſorum vehementem pariter ac per ſubſequentem eorum expanſionem ingentem, non posſunt non valde debilitari non ſolum ſolida; ſed et ob ipſas validas has actiones, motus, et euacuationes ingens oriri ſpirituum defectus partiumque fluidarum alteratio. Remanebunt itaque aegroto laſſitudo atque debilitas, orieturque ſomnus; aſt, refectis per eundem viribus, ſi etiam non omnis euacuata ſit materia morbifica, haec tamen minori gradu praeſens, non mox noua ad producenda eiusmodi, ac antea, ſymptomata, erit apta, (§. 16.) hinc aeger manifeſtam non ſentiet actionum ſuarum laeſionem, i. e. tempus aderit ἀπυρεξίας. (§. 4.)

§. XXXIII.

Explicatis hactenus (§. 18-32.) omnibus tribus totius febrium intermittentium circuitus ſtadiis, demonſtranda nunc nobis erit redeuntis poſt determinatum temporis ſpatium paroxysmi posſibilitas. Cum igitur ad ſimilem producendum paroxysmum, caeteris paribus, ſimilis fere requiratur materiae morbificae et quantitas et qualitas, vt augmentum tale inde adquirat eadem, quo denuo fiat actiua; (§. 18.) in explicanda huius poſt certum quoddam tempus productione, totum demonſtrandi paroxysmorum reditus haerebit negotium. Haerebit vero cauſa, vt producatur ſimilis tam ratione quantitatis, quam qualitatis materia morbifica (§. 16. 18.)

1) *in ipſa Mſea.* Quanquam enim diximus, (§. 27. n. 6.) reſolui materiam morbificam, non tamen exinde ſemper

per totius ſequitur reſolutio eiusdem, cum vix tanta eius cogitari liceat homogeneitas, vt aequaliter reſolutioni reſiſtat. Quodſi igitur quaedam materiae morbificae partes, viscidiores, ita difficulter reſoluantur, vt tantam non adquirant iam aptitudinem, qua ſimul cum caeteris euacuari queant, hae remanebunt; ac per circulum Mſeae ad contactum delatae, ſub motu eiusdem debiliori, quia eiusdem fere ſunt grauitatis ſpecificae, facillime cohaerebunt, (per princ. Phyſices) actiuioresue Mſeae partes adhaerentes in ſe recipient, atque ad tantam iterum ſi peruenerunt molem, vt in vaſis ſtagnare poſſint cutaneis, eadem fere, ac antea, producere valebunt ſymptomata. (§. 18. ſeqq.)

2) praecipue *in primis viis*. Cum enim omnes morbi a viscido oriundi vel oriantur a cruditatibus in digeſtionis tractu elaboratis, vel ſaltim easdem mox ſecum coniunctas habere debeant, quibus eo citius poſtea ad perfectionem veniunt morbi; certe etiam tales, inuadente febri intermittente, non parua ſaepiſſime aderunt copia; (§. 14. 15. 16.) id quod et a poſteriori monſtrant adpetitus proſtratus et nauſea, quae hunc ſaepe praecedunt morbum. Cum igitur materia morbifica tertio huius febris ſtadio vbique fere excernatur, vbi vaſa adſunt excretoria; (§. 31.) in ventriculum etiam et canalem inteſtinorum vt abeat, ſequitur: Quoniam vero iam eſt materia magis reſoluta, actiua atque diluta, facile vitioſum iſtud, in primis viis quod iam haeret atque ob nimiam visciditatem atque craſſitiem abſorberi antea non poterat, valebit ita reſoluere atque diluere, vt vna cum ipſa per vaſa abſorbentia et lactea in Mſeam tranſire aptum ſit. In eandem igitur delatum eodem aget modo, vti ſupra (n. 1.) dictum fuit, atque cum eo, quod in ipſa Mſea iam concreuit, facillime cohaerebit, et reditum paroxysmi eo

 magis

magis iam iuuabit ac citius: quibus accedit, quod a viribus concoctricibus debilibus et menſtruis vitioſis, tempore ἀπυρεξίας adſumta in vitioſum abeant chylum nec non viſcidum in primis viis iam haerens, augeant, cruditatesque ibi relinquant.

§. XXXIIII.

Patet igitur ex his mox recenſitis (§. 33.):

1. paroxysmum quidem poſt certum quoddam tempus eſſe rediturum, niſi omnis ita praeparata ſit materia morbifica, vt excerni queat et actu excernatur, nec noua in canali generetur alimentario: aſt quantum a diuerſimode conſtituta hac materia in diuerſis febrium intermittentium ſpeciebus pertineat temporis ſpatium, ad ſimile eius producendum augmentum, a priori determinari nequit, cum per quantitatem determinatorum rationes a priori dare nemo queat; ſed per experientiam ſolam cognitum id habemus tempus.
2. Excretionis iſtas copioſas, (§. 31. 25.) quamquam non ſint ſymptomaticae, (ibid.) attamen cum raro vno paroxysmo abſoluatur tota febris, plerumque non eſſe criſes perfectas, ſed euacuationes tantummodo criticas.

§. XXXV.

Deſcriptis hactenus generali omnium febrium intermittentium indole, natura, fiendi modo ac ſymptomatibus, vt ſcopo noſtro exactius indulgeamus, febris Tertiana ſpeciatim iam erit pertractanda. Ne vero, praeter iſtas, quas ſupra (§. 5.) recenſuimus, febrium intermittentium diuiſiones, ſilentio praetereamus caeteras, notetur diuidi eas generatim in *Autumnales* et *Vernales*; vbi hae

hae vocantur, quae incipiunt in menſibus a Februario vsque in Auguſtum, illae vero, quae inuadunt in ſemeſtri ab Auguſti circiter fine vsque in Februarium; in *ſolitarias*, vbi non plures eadem febri ſimul decumbunt, in *epidemicas*, quae plures ſimul certo quodam inuadunt anni tempore, et *endemias*, quae certa quadam in regione frequentes reperiuntur. Porro quamlibet iſtarum, (§. 5.) recenſitarum diuidunt in *veram* ſ. *legitimam*, et *ſpuriam* ſ. *notham*. Iſtam nominant, ſi ordinaria ſua ſeruat ſymptomata, paroxysmos atque periodos; has vero, quando non omnia ea adſunt ordinaria. Neque praetereunda erit ea febrium intermittentium diſtinctio, quae vel ab aequali vel citiori, vel tardiori deſumta fuit acceſſionis reditu. Ita enim, ſi quaelibet ab initio vnius paroxysmi ad incipientem vsque alterum aequalis fere fuerit diſtantia, nomen febris intermittens accepit *ordinatae* ſ. *regularis*; ſin inaequalis, *inordinatae* ſ. *irregularis*; atque haec denuo, ſi diſtantia inter duas ſe ſubſequentes acceſſiones ſemper cum numero paroxysmorum creſcit, vocatur *poſtponens*; ſin decreſcit, *anteponens*, ſi vero mox creſcit, mox decreſcit, *erraticae* ſ. *vagae* hae audiunt febres: *Anteponentes* vero et *poſtponentes*, ſi certam in imminuta vel aucta diſtantia vel obſeruant proportionem vel minus, in *aequaliter* et *inaequaliter anteponentes* et *poſtponentes* iterum diuiſere. Praeterea cum Tertiana atque Quartana non ſemper adſit ſimplex, ſed quandoque aegrotum inuadat duplex, haec vero et duplex et triplex; iſtas, quae vnicae tantum adſunt, vocant *ſimplices*, has vero, quae plures adſunt, *compoſitas*; et quidem, ſi Tertianae adſunt numero duae, (id quod cognoſcitur, quando quolibet quidem die adeſt paroxysmus, ſed iſti, qui ſingulis 48 horis circiter inuadunt, reſpondent ſibi tantum tam ſymptomatum numero et vehementia, quam reditu,) talem febrim intermittentem compoſitam vocarunt; *Tertianam duplicatam*: ſi tali modo

duae

duae vero adparent Quartanae, hanc adpellant *Quartanam duplicatam*; ſin tres, *triplicatam*. Nobis vero praecipue in hacce diſſertatione noſtra agendum erit de Tertiana ſimplici, vbi, adducentibus nobis, quinam ordinarii eiusdem ſint characteres, adparebit, quando iſta vocanda ſit legitima, quando ſpuria.

§. XXXVI.

Ideam febris Tertianae ſ. eius definitionem ſupra iam dedimus, (§. 5.) vbi diximus, hanc a reliquis ſeſe diſtinguere in eo, quod tertio quouis die ſ. poſt 48 circiter horas noua redeat acceſſio. Quoniam vero hicce character ad cognoſcendam eam tunc demum inſeruit, quando aliquot iam praeterlapſi fuere paroxyſmi, in praxi medica vero morbum ſtatim ab initio, nec per plures dies quum iam durauerit, ſi fieri poteſt, cognoſcere demum debemus; alia iam vt habeamus in promptu ſigna, quibus hanc ab aliis febris intermittentis diſtinguamus ſpeciebus, neceſſe eſt. Haec vero, vti iſta a Celeberr. Practicis obſeruata fuere, ſunt praecipue:

1. quod plerumque tempore matutino ſ. antemeridiano circa horam circiter decimam incipiat acceſſio.
2. quod frigus quidem ſit ingens, ſed raro vltra duas horas extendatur primum acceſſionis ſtadium.
3. quod ſub fine huius ſtadii nauſea et vomitus vel diarrhoea adpareant billioſi.
4. quod ſtadium ſecundum ſ. caloris, inter quoscunque reliquarum febrium intermittentium in omni Tertiana ſit vehementisſimum, ita, vt nonnunquam etiam producat deliria.
5. quod ſudore finiatur forti paroxyſmus vel etiam diarrhoea.
6. quod paroxyſmus plerumque non duret vltra horas duo-

duodecim. Quibus ſi ea exacte vera ſ. legitima et exquiſita eſſe debet, iungunt adhuc:

7. quod eodem fere tempore ſemper redeat accesſio.
8. quod non vltra 14 dies extendatur tota febris, ſ. ſeptimo quod adquiescat paroxysmo.
9. quod tempore vernali inuadat vt plurimum.
10. quod ſinguli ſuccedentes ſibi paroxysmi ſemper euadant mitiores.

§. XXXVII.

Cauſam immediatam febris Tertiana intermittens cum omnibus morbis vniuerſalibus agnoscet intemperiem vniverſalem: quia vero eſt ſpecies febris, (§. 2. 3.) intemperies ea erit calida; (§. 2.) atque quoniam omnibus cum intermittentibus viscedinem ſupponit in humoribus, (§. 15. 16. 17.) hac vero praeſente, ſeri blandi necesſario adſit defectus, qui ſiccitas relatiua vocatur Pathologis; cauſa febris noſtrae immediata erit intemperies vniuerſalis calida et relatiue ſicca.

§. XXXVIII.

Quidquid igitur cauſam hanc immediatam immediate valet producere, cauſa erit febris intermittentis Tertianae mediata proximior. Cum vero omnis morborum cauſa mediata proximior in ipſo corpore humano exiſtere debeat, eorum vero, quorum cauſa immediata eſt intemperies, cauſa mediata proximior in partibus corporis haereat fluidis; (per princip. Pathol.) cauſa etiam febris noſtrae mediata proximior in fluidis C. N. partibus quaerenda erit. Cum igitur fluida peccare posſint vel quantitate, et hac non ſolum excedente, ſed et deficiente, vel qualitate, vel quantitate et qualitate ſimul; cauſa mediata proximior eſſe debet vel Cacochymia, vel Plethora, vel vera vel

ſpuria, vel Keneangia ſ. quantitas deficiens, vel Keneangia et Cacochymia ſimul. Quanquam vero non negemus, quantitate peccantia fluida ſ. Plethoram et Keneangiam e cauſarum mediatarum proximiorum febris noſtrae non excludendas esſe numero; nunquam tamen per ſe tales exiſtere valebunt, niſi ſimul iam adſit vitiata in fluidis proportio. (Omnes enim febres intermittentes viscedinem ſupponunt in humoribus atque acrimoniam. §. 15. 16.). Cauſa igitur morbi noſtri mediata proximior praecipue erit Cacochymia ſ. vitioſa in fluidis corporis noſtri proportio, ſiue cum eadem coniuncta ſit excedens vel deficiens Maſſae ſanguineae quantitas, ſiue minus: quae vitiata qualitas magnam ſaepisſime etiam ad partem in iis obtinebit humoribus, qui per vias ſe- et excretorias in Canalem delati ſunt, et colliguntur alimentarium. (§. 33, n. 2.) Etiamſi vero nulla hic non prona ſit cacochymia, (in omnibus enim vel eminet viscidum vel acrimonia, §. 15. 16.) quia tamen in Tertiana calor exiſtit ſummus (§. 36. n. 4.), et vomitus bilioſus (§. 36. n. 3.) partium bilioſarum, hinc actiuarum [illegible]icarum clare monſtrat abundantiam ſ. acrimoniae bilioſae praeſentiam, praecipue inter cacochymias, tanquam cauſa mediata morbi noſtri, accuſanda erit bilioſa atque atrabilaria, quippe quae optime etiam ad producendam cauſam immediatam noſtram, (§. 37.) aptae ſunt.

§. XXXVIIII.

Quaecunque itaque dictas (§. 38.) cacochymias ſ. viscedinem atque acrimoniam in humoribus bilioſam valent producere, inter cauſas febris Tertianae intermittentis mediatas remotiores merito erunt referenda. (per princ. Path.) Cum igitur ad cauſas mediatas remotiores numerentur et praeexiſtentes ſ. res ita dictae non naturales, et praedisponentes, ſ. res naturales, nec non res praeternaturales;

ex

ex rebus non naturalibus morbo noſtro occaſionem dare poterunt:

1. *Aer*; qui nimis calidus ſerum temperans disſipando, hinc acrimoniam in Mſea augendo eamque inſpisſando non parum ad morbum noſtrum confert, praecipue, ſi is ſimul eſt ſiccus: nec frigidus nimis hic erit ineptus, dum inſpisſando humores eosdem reddit viscidos, transpirationemque imminuendo inſenſibilem, ſalium actiuiorum copiam auget; id quod eo magis eueniet, ſi coexiſtit humidus, qualis etiam eſt nebuloſus, matutinus et vespertinus. Referendus hic vero quoque erit aer exhalationibus imbutus peregrinis, praeſertim putridis et acido-ſulphureis; illae, dum, vel per pulmones, vel asſumendis et ſaliuae adhaerentes per organa alimentaria, in Mſeam delatae, ſtatum acrem alcalicum in eadem augent; hae, dum, fibras pulmonum ſtringendo minimas, transitum ſanguinis per pulmones, et ita refrigerium decens Mſeae impediunt. Multo magis vero, quam aer frigidus, eadem ratione nocebunt corpora alia frigida vel frigida et humida ſimul, quatenus maiori, ac aer, gaudent grauitate ſpecifica, dum ob eandem multo maiorem ignis in ſe adſumant quantitatem, quando corpori humano adplicantur (ſecund. leges Phyſic.) Qua de re natationes, lauationes ac balnea in aqua frigida inſtituta apprime ad morbum noſtrum producendum apta erunt.
2. *Cibus* et *potus*; vbi cibi ratione quantitatis excedentis peccantes, inferendo cruditates; deficientis, acrimoniam Mſeae per continuatas ſe- et excretiones exortam atque viscedinem non temperando et diluendo, accuſandi erunt. Ratione qualitatis peccantes huc pertinent cibi nimis acres alcalici vel alcalini et ſulphurei, acrimoniam augendo biliosam, nimis ſalſi, disſipando ſerum fluxile et acrimoniam inducendo, vis-

cidi vero, vt farinacea non fermentata, leguminoſa, piſces etc. craſſi, duri, praecipue fumo indurati, crudi et frigidi, crudum immittendo Mſeae chylum atque viscidum, nec non ipſa in digeſtionis culina relinquendo ſordes: qui omnes multo omnino citius morbum inducere queunt noſtrum, ſi ſimul excedunt quantitate. Ratione modi asſumendi vero et cibi nobis huc in cenſum veniunt, dum vel ſine mora ingurgitati, hinc non decenter maſticati, vel iuſto citius vel iuſto tardius ſeſe excipientes, viscedinem atque acrimoniam producunt, iuuant, augent. Potus vero cauſa febris noſtrae euadere poteſt, ſi is vel nimis frigidus adhibetur, dum concoctionem ciborum in ventriculo impedit; vel calidus abutitur, dum, tonum ventriculi laedendo, hinc ciborum mutationem difficiliorem reddendo, cruditates producit. Ita et aquoſus nimius et oleoſus, emolliendo atque debilitando nocens, alcalicus et putridus, acrimoniam inferendo et augendo alcalicam, bilioſam, ſpirituoſus, vt 🜄, coagulando, hinc depurationes Mſeae impediendo, ſtatum acrem inferendo et viscidum, morbo noſtro occaſionem dare poterit; Quantitate excedens potus, debilitando totum corpus, hinc cruditates inducendo necesſario, praecipue ſi qualitate ſimul gaudet noxia; deficiens vero, non reſtituendo ſerum fluxile, diluens, hinc viscidos et acres reddendo humores, materiae morbificae generationem promouebunt.

3. *Motus* nimius, exagitando Mſeam et ſerum blandum disſipando fluidioraque difflando, acrimoniam infert alcalicam, viscedinem atque debilitates, qui vero eo magis iam erit febris noſtrae cauſa mediata remotior, ſi vel aere calidiori aut ſub calore ſolis inſtituitur, dum dicta citius infert vitia, vel mox poſt paſtum adhibitus, concoctionem dum impediendo decentem, ſaburram

in

in primis viis ſimul cauſat. Nec deficiens nimis motus ſ. *Quies* continuata parum iuuabit ad producendam febrim noſtram, dum partim lentorem Mſeae conciliat, partim propter ſe - et excretiones, hinc depurationes impeditas ſimul acrimoniam, cui victus plenus, acris, aromaticus vel viscidus et craſſus eo magis ad generandam materiam morbificam iam ſuccurrent.

4. *Vigiliae* et *Somnus*, quia coincidunt cum motu atque quiete, (n. 3.) modo illa in maiori horum conſiſtant gradu, non poterunt non acrimoniam efficere atque viscedinem, ſi iis abutuntur homines, hinc febri noſtrae dare occaſionem: Ita et venus nimia, quia haec vitia a motu excedente, praeſertim conſumtionem ſpirituum, maiori efficit gradu.

5. Neque excludenda e numero cauſarum harum erunt *Animi Pathemata*; dum exagitantia, vt gaudium immoderatum et ira, agunt vt motus, concentrantia, v. g. moeror atque triſtitia, vti quies ſuperflua; ambo vero multo et vehementius et citius noxam inferre queunt atque illae. (n. 3.) Meditationes vero et ſtudia profunda, inprimis lucubrationes, partim ob ſpirituum diſſipationem, partim ob motum et ſomnum ſimul neglectum, (n. 3. 4.) eadem inducta et ſolidis et fluidis vitia iam grauiora reddent, hinc facile diſpoſitionem ad acrimoniam alcalicam et viscedinem iam praeſentem ita mutare atque augere valent, vt febri noſtrae morbifica praebeatur materia.

6. *Excernenda Retenta* haud minimum etiam inter easdem has cauſas habebunt locum: Praecipue vero inter haec notabiles tres iſtae accuſandae erunt, ſi impediantur, excretiones, quibus Mſea inprimis depuratur a nociuis; nimirum transpiratio, alui atque vrinae excretio: in foeminis vero etiam menſium et in haemorrhoidariis haemorrhoidum ſuppreſſio, nec non in Plethoricis, qui-

bus non euacuationes naturales ſuperflui contingunt, neglectae artificiales huc pertinent. Ab omnibus his enim ſuppresſis ſtatus naturalis valde mutatur, atque facillime, ad augmentum, pro morbo noſtro, tam viscedinis, quam acrimoniae bilioſae, inclinantibus datur occaſio. *Retinenda* vero *excreta*, vaſa nimis euacuando, eadem debilitando, hinc circulum turbando ſanguinis, ac ſi ſeroſae ſint excretiones, ſimul ſalium disſipando diluens; ſin ſpirituoſae v. g. ſeminis, difflando ſubtiliora volatilia, ſin coctioni ciborum inſeruientes, vt ſaliuae, eam debilitando etc. viscedinem atque acrimoniam iam eminentem augere valent, hinc morbo noſtro ſauere.

§. XXXX.

Ad cauſas mediatas morborum remotiores pertinent et nominatae ita praedisponentes ſ. res naturales, de quibus anſam dare febri noſtrae omnes poterunt eae, quibus diſpoſitio adquirit corpus noſtrum ad acrimoniam bilioſam atque viscedinem, quibus ipſis rerum non naturalium facilius iam admittuntur mutationes. (§. 39.)

1. *Temperamenta* igitur quidem omnia, praecipue tamen calidum et ſiccum ſ. cholericum huc pertinebit, quippe in quo naturaliter iam abundant ſalia alcalica, nec difficulter parua, quae adeſt, inuiscatur ſeri quantitas.
2. Inter *habitus* corporis praecipue referendus hic erit gracilis, dum ſaepisſime hic ſupponit acrimoniam et temperamentum plerumque coniunctum habet cholericum (n. 1.). Non excludendus tamen erit obeſus, dum hic, ob partium ſulphurearum copiam, haud parum etiam ad viscidum et acre bilioſum augendum inclinat; neque carnoſus, quippe qui ad plethoram disponit corpus. Inter omnes tamen, ſi reliqua concurrunt

currunt, conſtitutio debilior facilius, robuſtior difficilius conciliandas a rebus non naturalibus (§. 39.) admittet mutationes.

3. *Sexus* nobilior facilius pariter ac ſaepius Tertiana noſtra corripietur, quam ſequior; In hoc enim plerumque temperamentum adeſt magis ſeroſum et ad phlegmaticum accedens, quam actiuum; in illo vero citius acrimonia augebitur alcalica, bilioſa.

4. *Aetas* iuuenilis et virilis prae caeteris ad acrimoniam inclinant eandem: facilius itaque et cauſae praeexiſtentes (§. 39.) dicta in iisdem gignent vitia. In infantili enim ſerum potius eminet blandum; ſenilis vero, quamuis, cohaerentibus iam magis humoribus, vergat ad viscedinem, attamen ob temperamentum, quo plerumque gaudet, melancholicum, acidam facilius admittet acrimoniam, quam bilioſam; hinc, ſi febribus intermittentibus corripiuntur ſenes, hae potius aliae erunt, non Tertianae.

5. *Vitae genus* nimis laborioſum aeque atque quietum haud parum morbo noſtro erunt conuenientia: Illud, acrimoniae praebendo occaſionem alcalicae, ſerique blandi defectui, praecipue, ſi ſub calore ſolis degitur; hoc vero, inſpiſſando humores, ſaliaque actiua non decenter eliminando.

6. Inter *Conſuetudines* omnis nimius hic accuſandus erit vſus rerum non naturalium talis, quibus ſtatus ad acrimoniam inclinans bilioſam atque viscedinem inducitur, qui ex dictis (§. 39.) erit petendus.

7. Neque excludenda hic erit *Idioſyncraſia*, cuius asſumendae experientiam ſequimur ducem. Cum enim haud videatur incongruum, in quibusdam ſubiectis peculiarem forte exiſtere vaſorum conſtitutionem, ſiue iſta conſiſtat in debilitate, ſiue rigiditate, ſiue ſenſibilitate et irritabilitate maiori; haud etiam erit impoſſi-

poſſibile, facilius in his euenire conſtrictionem vaſorum ſpaſticam ſtaſinque in extremis, quamprimum apta, ob vitioſam diaetam, inducta fluidis fuerint vitia; quae tamen in aliis vel nondum Tertianae accedentem circuitum, vel alium potius, vel nullum adhuc efficere valerent morbum.

8. Nec non *Diſpoſitio haereditaria* inter cauſas ſic dictas naturales febris noſtrae referri merebitur. Cum enim omnes morbi haereditarii proficiſci videantur vel ob ſimilem a ſanguine materno gnatis communicatam proportionem Mſeae vitioſam, vel ob diaetam vitioſam, quam liberi cum parentibus ſeruant ſimilem, a quibus, ob ſimilem hoc modo productam cauſam, ſimilis etiam oriri poſſit effectus; haud difficilius etiam talis dicto modo a parentibus communicari ſoboli poteſt diſpoſitio, qua ipſa, accedente tantum cauſa quadam ex occaſionalibus, ad producendam febrim noſtram euaderit apta.

§. XXXXI.

Ex cauſis denique praeternaturalibus pertinebunt huc omnes eiusmodi morbi atque ſymptomata, quibus acrimonia bilioſa Mſeae conciliatur atque viſciditas; quales inter alia ſunt obſtructiones viſcerum, debilitas vaſorum, hydropes, adfectus ſcorbutici, cachectici, ſcabies retropulſa et alii varii ac multi, dictas in humoribus vel producentes, vel relinquentes qualitates vitioſas.

§. XXXXII.

Explicatis hactenus febris intermittentis noſtrae cauſis, tam immediata, quam mediatis et proximioribus, et remotioribus, inter haec, quae morbi noſtri ſpectant Theoriam, demonſtranda nunc erunt, quae eiusdem faciunt et diagno-

diagnoſin et prognoſin. Cum vero ea, quae ad eius pertinent diagnoſin, maximam ad partem in antecedentibus iam fuerint propoſita, vbi omnia febris intermittentis ſymptomata cum eorundem rationibus explicanda iam adhibuimus operam. ſuperfluum iam foret, vt denuo de iisdem agamus. Pauca tamen explicatu digna adhuc cenſemus ea, quae Tertianae ſpeciatim ſpectant diagnoſin, ſupra (§. 36.) recenſita, de quibus, quantum poteſt, dabimus rationes.

§. XXXXIII.

Quod igitur calor, omniaque, quae ab eodem ſunt explicata, ſymptomata (§. 27-30.) maiora ſint et vehementiora in Tertiana, quam in omnibus reliquis febribus intermittentibus, (§. 36, n. 4.) de eo ſine dubio haec erit ratio, quod in hac febrium intermittentium ſpecie tanta non adſit, ac in reliquis, viscedo, reſolutioni in Mſea reſiſtens, ſed contra acrimonia maiori peccet gradu alcalica, reſolutionem partium ſulphurearum praeternaturalem admodum augens. Atque ab eadem hac acrimonia maiori vehementia frigoris erit deriuanda, (§. 36, n. 2.) cum ob ipſam hanc augeatur conſtrictio vaſorum extremorum cutaneorum ſpasmodica; (§. 19, n. 2.) quoniam autem maiori in quantitate praeſentes in Mſea partes acres alcalicae ſunt, (§. 38.) non poteſt non citius, ac in aliis febribus intermittentibus, p. n. fieri reſolutio, (§. 27.) hinc citius ceſſare frigus (§. 36. n. 2.). De vomitu eiusdemque cauſis aeque ac de diarrhoea prolixe ſatis ſupra (§. 25.) iam locuti ſumus: Quod vero hae euacuationes in Tertiana ſint bilioſae, (§. 36, n. 3.) acrimonia bilioſa maior (§. 38.) erit culpa. Nec non, quod ſudoris excretio ſit admodum fortis (§. 36, n. 5.) vt et Diarrhoeae, huius ratio eſſe videtur partim maior, poſt maiorem conſtrictionem ſpasmodicam, eueniens vaſorum relaxatio ac dilatatio, partim for-

tior hac in febre contingens reſolutio: Quod vero plerumque tempore inuadat vernali, huius phaenomeni ea videtur eſſe cauſa, quod, ſub magnis aeris tunc temporis contingentibus mutationibus, magis ad acrimoniam alcalicam, biliosſam tum vergat corpus noſtrum, ac autumno. De caeteris febris Tertianae noſtrae characteribus, (§. 36, n. 1. 6. 7. 8. 10.) cum per quantitatem determinatae res ſint, ratio vix dari poterit. Omittamus igitur iam febris, de qua agimus diagnoſin, et ad eiusdem nos vertamus prognoſin.

§. XXXXIIII.

Prognoſis febris Tertianae intermittentis cum omnium morborum prognoſi concernet eiusdem et euentum, et modum et tempus huius euentus. Quod adtinet igitur ipſum morbi noſtri euentum, quum omnis morborum euentus nullus ſit alius, quam quod vel abeant in mortem, vel terminentur in ſanitatem, vel mutentur in alium morbum; alius etiam febris Tertianae, de qua loquimur, cogitari non poterit exitus. Quanquam vero non negem, in quolibet febris huius tempore mori aegrotum poſſe; (omni enim fere momento ſaniſſimus etiam ſe credens homo morti erit obnoxius) ex cauſa tamen ipſius febris noſtrae, cum omnia, quae ab eadem producuntur, ſymptomata, poſt aliquod tempus continuata deſinant, raro actionum vitalium plenaria obtinebit ceſſatio; cuius aſſerti experientiam quoque habemus teſtem, quum inter tot, hocce qui corripiuntur morbo, rariſſime quis vitam non retineat ſuperſtitem. Quodſi vero tamen aliquando contingat, vt mors febris huius efficiat exitum, non facile in alio id fieri poſſe videtur ſtadio, quam in eo, vbi frigus aegrotum adfligit, ſ. in primo, ſi iſtud ſit vehemens. In hoc enim ſtadio actiones vitales maxime eſſe laeſas, ex ſupra dictis (§. 18. 21.) patebit, quum non modo pulſus, ſ. motus

tus progreſſiuus ſanguinis, ſed et calor ſ. motus inteſtinus et reſpiratio maxime impediantur: hinc, ſi ſtadium hoc tanto gradu ſit vehemens, (quale vero raro adeſt,) vt actiones has ad vitam ſumme neceſſarias plane ſupprimat, adeſſe poterit earundem ceſſatio ſ. mors. Tempore vero caloris cum reſoluatur materia morbifica, (§. 27, n. 6.) omnia febris intermittentis producens ſymptomata, hinc ad euacuationem adaptetur, et actu etiam, ſi nil obſtet, ſubſequenti euacuetur ſtadio; raro ipſius Mſeae tanta in febri noſtra continget reſolutio; vt propter calorem moriantur aegri; niſi vel ob curam forte peruerſam, vel ob temperamentum admodum calidum, vel inſignem aegroti Plethoram, vel minus rite ab eodem obſeruatum regimen hic ita augeatur calor, vt, diutius continuans, ipſorum deſtructionem efficiat globulorum Mſeae; quo tamen ſub caſu potius oriretur prius febris continua, hinc aeger alio potius morbo, non intermittente vitam cum morte commutabit. Multo minus igitur Stadio tertio, quia tunc euacuatur materia morbifica, hinc leniuntur ſymptomata, (§. 31. 32.) vitae nobis aderit periculum, niſi etiam regimine calidiori vel ſtragulis nimium tecto aegroto, nimius exprimatur ſudor, qui tamen caſus quoque tranſitum prius in alium morbum conciliabit.

§. XXXXV.

Rariſſimus itaque febris noſtrae in mortem cum fiat exitus, (§. praeced.) vt terminetur vel in ſanitatem, vel in alium vt abeat morbum, neceſſe eſt. (ibid.) In alium ſi tranſeit morbum, quanquam ob ipſam morbi fieri id poſſit vehementiam, quum inſigniter inde debilitentur tam partes ſolidae, quam alterentur fluidae; (§. 32.) plerumque tamen id eueniet ob culpam peruerſae vel inſtitutae curae, vel diaetae, vel regiminis. Sic ſi calor, qui in Ter-

tiana iam adeſt haud exiguus, (§. 36, n. 4.) per vſurpata vel tempore frigoris vel caloris medicamenta ſtimulantia fortiora, vel per alia maiori in quantitate adſumta calidiora, vel ſtragulis onerato nimis aegro, praeter modum augetur; facillime Tertiana intermittens in alias mutabitur febres, continuas, acutas, inflammatorias, periculoſisſimae ſaepe indolis. Quodſi vero, imprudenti adhibito medendi methodo, nimis cito acceſsionum impeditur reditus, vt remaneant partes materiae morbificae acris et viscidae, per ipſos non ſolum paroxysmos, ſed per congrua etiam adhibita medicamenta, quae alias reſoluendae demum esſent et euacuandae; vel, ſi peruerſa victus ac diaetae habita ratione, materia morbifica maius ſemper adquirit augmentum; vel ſi coacto nimis ſudore (§. 31.) pars ſanguinis exprimatur ſubtilior, remanente crasſiori; vel, ſi cesſantibus paroxysmis et ipſa febri, vaſis, per frequentiores paroxysmos debilitatis, non, vti decet, roboratis, non noua in humoribus vitiata impediatur proportio: multi ac varii originem inde trahere poterunt morbi, longinqui ac chronici, vel magis vel minus periculoſi. Hinc eſt, quod obſeruatum ſaepe fuerit, per vitia talia commisſa vel a Medico, vel ab ipſo aegroto, vel ab adſtantibus, febrem Tertianam ſimplicem deſiisſe vel in duplicatam, vel in Quartanam, vel ortas exinde esſe obſtructiones grauiores viscerum, Scyrrhos, hydropes, cachexiam, Icterum, ſcorbutum, febrim lentam, Phthyſin et hecticam, et multa alia a minus decenti materiae morbificae acris et viscidae euacuatione petenda mala. Quoniam vero vidimus ex antecedentibus, (§. 32.) per ipſum febris paroxysmum potentisſime reſolui, praeparari et euacuari materiam morbificam; in ſanitatem ſane non ſolum verget noſter hic morbus, ſi tam per ipſos repetitos paroxysmos, quam per congruam medicaminum exhibitionem, materia morbifica ſatis correcta ſuccesſiue euacuatur, vaſa a tono re-

ſtituta

ſtituta roborantur, nec non, propter decentem ab ipſo aegroto adhibitam diaetam atque regimen, noua iam impeditur cauſae morbificae productio: (§. 33.) ſed et, vti ſaepisſime obſeruarunt celeberr. Medicorum Practici, ab inueteratis, multis et magnis, vix medicamentis ſolubilibus corpus liberare valet malis; vt et, ſecundum celeb. Boerhaauii ſententiam, disponat idem ad longaeuitatem.

§. XXXXVI.

Modus euentus, (§. 44.) ſi in ſalutem vergit morbus noſter, certe is erit, quod tam ope Medici, quam ſingulis paroxysmis, bene ſuccedentes per euacuationes criticas, (§. 25-31.) ſuccesſiue materia e corpore eliminetur morbifica; quae euacuatio cum maxime contingat per ſudorem, (§. 31. 36, n. 5. 44.) patet, quantum ſit pro ſalute, hanc bene exſpectare leniterque promouere excretionem materiae morbificae; quantas contra inferre posſit noxas, ſi is vel refrigeratione impeditur, vt remaneant partes nociuae, vel ſtragulis nimium exprimitur, vt ſimul abeant maiori in quantitate humores ſeroſi, blandi, ſubtiliores, crasſioribus acrioribusque relictis. Quanquam vero maxime per euacuationes criticas contingat haecce partium noxiarum eliminatio; ſaepius tamen etiam per metaſtaſin exitum ſibi parat materia morbifica, dum plerumque poſt tertium vel quartum paroxysmum in labiis ſe manifeſtent vlcuscula, quibus praeſentibus notabilis ſymptomatum adparet mitigatio. Cum igitur modus euentus, ſanitatem aegroto reddens, in eo ſolummodo conſiſtat, vt materia morbifica ſenſim omnis e corpore educatur; in alium morbum ſi vertitur febris noſtra, hic modus profecto haud erit alius, quam, quod retenta eadem haec materia vel alias producat febres ſiue continuas ſiue intermittentes, vel ad alias nobiliores corporis ſe vertens partes, obſtructiones, ero-

 ſiones,

ſiones, rupturas, exulcerationes aliaque multa et varia gignet mala.

§. XXXXVII.

Tempus denique huius exitus (§. 44.) quod attinet, quando id adparuerit cum certitudine nunquam fere determinari poterit. Si enim in alios abeunt febres noſtrae morbos, tempus talis euentus aderit, quando, vel ob ipſam febris vehementiam vel ob vitia commisſa, (§. 44.) talis inductus adparet ſtatus, vt febris intermittentis Tertianae non amplius adſint ſigna, aliis tamen adflictus aeger ſit incommodis atque malis. Cum itaque febris vehementia talis mox adſit in initio, mox per diuturniorem eius demum inducta ſit durationem, vitia etiam (§. 44.) dicta non ſemper eodem morbi committantur tempore; nunc prius, nunc tardius inoptatus febris huius ſe manifeſtabit exitus. Atque eadem ratione, cum pro diuerſa materiae morbificae vel quantitate, vel qualitate nunc citius, nunc tardius omnis eiusdem concilietur reſolutio et euacuatio, hanc vero ſupponat aegri reſtitutio, (§. 45.) modo citius, modo tardius in ſanitatem terminabitur febris noſtra. Tertiana tamen vera ſ. exquiſita, (§. 35.) ſi non citius, ſemper tamen ſeptimo ſolui paroxysmo debet, vti iam diximus, (§. 36.) Tertianae exquiſitae vbi deſcripſimus notas. Tantum praeterea adhuc aliquo modo de euentus huius praedicere licebit tempore, nimirum:

1. quod vernales plerumque citius ſoluantur autumnalibus. (§. 35.) Tempore enim vernali tam aeris temperies, quam victus, quo tunc ordinarie vtimur, magis omnino blandam reſolutionem et depurationem Mſeae promouet, quam autumnali, vbi potius aer victusque conſuetus eandem impedit.
2. quo magis ipſorum decrescit paroxysmorum duratio, quo mitiora in ſingulis iisdem ſeſe ſubſequentibus adparent

parent ſymptomata et quo exactius obſeruat aeger diaetam ac regimen, eo citius redituram ſanitatem poſſe: quo magis vero increscit acceſſionum duratio, quo grauiora adparent in iisdem ſymptomata, quo magis tam ratione numeri, quam vehementiae augmentum adquirunt eadem et quo minus aeger, prudenter a Medico imperata, ſeruat, eo ſerius ſalutem aegrotantis eſſe ſperandam.

3. Poſtponentes citius nobis promittere ſalutem, caeteris paribus, ac anteponentes: (§. 35.) hae enim difficiliorem ſubactu agnoscunt materiam morbificam, ſiue eiusdem ſit maior quantitas ſiue qualitas, illae faciliorem. (per princ. Path.)

4. quo magis robuſtus ac de caetero ſanus eſt aegrotus, (reliquis ſimul conſentientibus) eo prius ſecunda expectanda erit valetudo; quo magis vero idem eſt debilis et quo minus ſana partium corporis ſui, praeſertim viscerum, gaudet conſtitutione, eo diuturniorem fore morbum noſtrum, exiſtimandum erit.

§. XXXXVIII.

Abſolutis iam praecipuis, quae ad febris intermittentis noſtrae pertinent theoriam, reliquum adhuc erit, vt agamus de iis, quae Therapiam huius concernunt morbi, ſiue eiusdem curationem. Quum igitur omnis morborum curatio in eo certe conſiſtat, vt, profligato ex toto morbo, reſtituatur ſanitas, huius vero reſtitutio exigat, vt materia morbifica omnis corrigatur, euacuetur, nec noua generetur, (§. 46.) haecce praecipue requiret febris noſtrae curatio: Ita enim obſeruabimus etiam generalem iſtam regulam practicam, in medendis morbis obſeruandam, nimirum: Quod in omni morbo profligando potiſſimum remouenda ſit cauſa mediata proximior. Verum quidem eſt,

per

per ipſos febris noſtrae paroxysmos valde partim corrigi et reſolui, partim euacuari materiam morbificam; aſt, cum non ſolum ſaepisſime ad ſubigendam et euacuandam eandem paroxysmi ſoli non ſufficiant, ſed et per crebrius repetitos circuitus non posſit non inſignis corpori conciliari debilitas, (§. 32.) hinc ſemper noua generationi atque augmento materiae morboſae reddatur occaſio; omnino etiam extra paroxysmum ad corrigendam, eliminandam et nouam praecauendam eam ſtudere debet Medicus, vt numerus inde imminuatur paroxysmorum citiusque ipſa ad finem perducatur febris. Atque eodem ſane modo reſpondere eam ad obiectionem posſumus, nimirum, quod febres intermittentes Tertianae verae, quia ſemper ſeptimo paroxysmo per ſe deſinunt, (§. 36. n. 8.) ſingulari non egeant curatione Medici. Quamuis enim rite ſe habeat asſertum iſtud, Tertianam exquiſitam poſt ſeptimum paroxysmum adquiescere; quo citius tamen materiam morbificam remouere, hinc finem morbo imponere posſumus, eo melius ſuccurremus aegro, cum omnes tamen morbi debilitent. Praeterea vero, quis fidem nobis dabit, febrem Tertianam, quae nobis ſe manifeſtat, esſe exquiſitam? (Nunquam enim, niſi poſt finem eiusdem, affirmare id posſumus; cum, quamuis caetera huius febris ſigna (§. 36.) reſpondeant, ſi ſeptimo non finitur paroxysmo, non ſit exquiſita (§. 35.). Cum igitur in morborum curatione, morbos, cognitu dubios, vt ſemper a deteriore adſpiciamus parte, praeſtet: Tertiana, ſi etiam fuerit exquiſita, tractanda omnino erit, vti non exquiſita, i. e. curationem Medici exigit.

§. XXXXVIIII.

Cum igitur ad ſolutionem morbi noſtri requiratur, vt ſufficiens per excretiones criticas, ſingulis paroxysmis con-

tin-

tingentes, materiae morbificae fiat euacuatio; (§. 45. 46.) attamen etiam eiusdem correctio et eliminatio per remedia extra paroxyſmum vſurpanda ſit neceſſaria; (§. 48.) praeterea in ipſo etiam paroxyſmo eueniant ſymptomata, quae, vehementiora ſi euadunt, maximam aegro polliceri noxam poſſent; (§. 45.) facile ſequentes Medicus formare ſibi indicationes poterit; nimirum:

Extra paroxyſmum

I. Materia morbifica ſ. humores viſcidi, acres, alcalici ſunt corrigendi et ad euacuationem praeparandi.
II. Correcta et praeparata materia morboſa eſt euacuanda.
III. Noua eiusdem generatio atque augmentum tam in MSea, quam primis viis eſt impedienda.

In paroxyſmo vero

IIII. Symptomata vrgentia ſunt mitiganda.
V. Excretiones criticae leniter ſunt promouendae et adiuuandae.

§. L.

Corrigitur et ad euacuationem adaptatur materia morbifica (§. 49, n. 1.) per omnia ea, quae bilioſam (§. 38.) temperant acrimoniam, ſimul tamen viſcidos humores (§. 15. 16.) diluunt, blande reſoluunt atque attenuant; ſpeciatim vero:

1. per ȝes temperantes 🜕roſos, quales parari poſſunt ex abſorbentibus ſucco citri impraegnatis, vt Lap. 69. Conch. etc. citratis, mixtis cum 🜔ibus mediis, qualia ſunt 🜿 🜖lat. arcan. duplicat. triplicat. praeſertim 🜕troſis, vt 🜕 depurat: 🜿iat. regenerat. 🜔 polychreſt. 🜔 Abſynth. Card. ben. Cent. min. etc. qui non ſo-

 lum

lum acrimoniam alcalicam inuertendo et abſorbendo, ſed et ſerum viſcidum paululum reſoluendo, et fundendo, ſalutarem ſuum edunt effectum. Qui ℥es non modo die vacuo bis vel ter, ſed et, ne paroxyſmus euadat vehemens, duabus vel tribus ante paroxyſmum vicibus ad ℈j - ʒß cum fructu ſingulis propinantur horis.

2. per Esſentias et TRas leniter reſoluentes et attenuantes, quales ſunt v. g. Eſſent. Pimp. alb. Scordii, amara Hallenſ. Gentian. alexiph. Stahlii, MR. S. etc. quae ſemel vel bis die intercalari ad gtt. xxxx - L porrigantur aegro: quibus etiam haud incongrue admiſceri poterit liqu. anod. mineral. Hoffmanni, fibrarum ſpasmodicam egregie leniens conſtrictionem.

3. per Decocta diluta atque infuſa ex Radicibus, HBis et reliquis ſpeciebus temperantibus, leniter reſoluentibus, amaricantibus, incidentibus parata, qualia ſunt: Rad. Scorzon. Chin. Sarſaeparill. Cichorei, Tarax. etc. HB. Veronicae, Matriſylu. Polip. Meliſſ. Scord. etc. Raſur. L. Santali citrin. cum Cort. ⊙ant. Citri etc. quae, diluendo acrimoniam bilioſam, leniterque reſoluendo viscedinem, correctioni inſeruiunt materiae peccantis; quem in finem et infra adducenda (§. LVII, n. 2.) adhiberi poterunt.

4. per victum tenuem, parcum, facile reſolubilem, quippe qui leni reſolutioni humorum, ſaliumque acrium alcalicorum correctioni haud parum etiam inſeruit.

5. per motum corporis, qui vero ſit lenis, ſaepius inſtituendus, haud fortis, vt blanda quidem obtineatur attenuatio, non tamen, liquidisſima ſanguinis parte per ſudorem nimis diſſlata, relinquantur viſcidiores acriores.

§. LI.

§. LI.

Correcta et praeparata hoc modo (§. 50.) materia morbifica e corpore eliminatur: (§. 49, n. II.)

1. per aluum ducentia ſ. medicamenta laxantia; quae magnam profecto hac in febre praeſtant vtilitatem, dum, materiam in primis haerentem viis euacuando, praecipuam ſaepe huius morbi cauſam (§. 33, n. 2. 38.) remouere valent. Nunquam tamen fortiora adhibenda ſunt purgantia, qualia ſunt Reſinoſa, Scammoniata et alia, quippe quae exagitationem nimiam in Mſea conciliant, irritatione ſua forti ſubſequentes in paroxysmo conſtrictiones ſpasmodicas potius augent, ſerum blandum nimis expellendo, ſalium acrium disſipant diluens, corpusque debilitando ſubſequentes etiam grauiores reddunt paroxysmos. Omnia haec contra lenisſima atque blandisſima esſe praeſtat, vt materiam in primis viis habitantem tantum eiiciendo lenemque in Mſea reſolutionem efficiendo materiam euacuent morbificam. Ad talia verò inter alia referre licebit ⊖ Sedliz. Anglic. Creutzburg. mirab. Glauberi, Rhabarbarina, ℥ Rad. Gialapp. ſpecif. Gialappin. Fol. Senn. Potiunc. Mannatae et alia, quorum doſes etiam leniores esſe praeſtabit. Nonnunquam in hacce febrium ſpecie mox poſt primum paroxysmum adhiberi poterunt eadem, ſine praemisſis corrigentibus multis ac digeſtiuis, quia ſaepe ſufficienter ad euacuandum mobilis iam eſt materia biliosa, primas vias occupans.

2. per Vomitoria ſ. Emetica, quae praecipuum hic habebunt vſum, ſi in ventriculo haerens indicatur humorum bilioſorum colluuies, quorum praeſentiam indicant frequens nauſea, ipſe ſub fine frigoris ſponte ſequuutus vomitus, (§. 25.) amarities oris et alia; quae

tamen minime adhibenda ſunt, ſi vſum eorum vetat contraindicans, vt debilitas nimia vel aliud, quo praeſente melius ac tutius per inferiora euacuatio indicata inſtitui poterit. Pertinent vero, ad praecipua huius commatis et vſitatisſima, ♀rus emet. ad gr. j - jß cum ⊖ibus mediis ſ. digeſtiuis mixtus, vel Rad. Ipecacuanh. ad gr. xv - xx. danda; quorum doſis hoc loco ſufficiet, cum conatus, qui iam adeſt, ad vomitum, ipſum eundem iam iuuet. Atque eadem haec emetica non ſolum vtilitatem ferunt, dum contenta in ventriculo et duodeno immediate excernunt, ſed per aluum ſimul operando plerumque, inteſtina etiam euacuant, nec non, forti, quam producunt, musculorum abdominis, diaphragmatis et viscerum infimi ventris actione et compresſione, ipſum praeternaturale reſoluendo Mſeae viscidum, primae inſeruire posſunt indicationi. (§. 50.) Quae vero et laxantia et vomitoria, ſi non die intercalari, tanta tamen ante paroxysmum danda ſunt tempore, vt effectus eorum euacuatorius, imminente accesſione, plane iam euanuerit; ne aeger ad paroxysmum probe ſuſtinendum impediatur.

3. per Clyſteres ex emollientibus, anti-ſpasmodicis, leniter reſoluentibus, imo et carminatiuis paratos, qui praecipue indicantur, ſi obſtructiones alui, flatus et faeces ſiccae aegro faciunt incommodum, nec non in iis, in quibus, ob genus neruorum ſenſilius, a ſupra memoratis (n. 1. 2.) facile effectus metuendus foret et nimius et noxius.

4. per ea, quae diaphoreſin ſ. transpirationem inſenſibilem leniter mouent, quorſum praeter lenem corporis motum et potum diluentem et paululum reſoluentem referendae ſunt omnes Esſentiae et Tincturae diaphoreticae et leniter ſudoriferae, v. g. MR. S. Esſ. Scord. alexiph. Stahl. Pimp. alb. Tinctura bezoard. Wedel.

Wedel. balſamica Sleuogtii et aliae, quae tamen melius non prius adhibentur, quam, materia in primis viis praeſens, ſi iam per antea adducta (n. 1. 2. 3.) ſit eliminata, ne illa, verſus peripheriam corporis humores deriuantia, in ventriculum et inteſtina delata, hanc reſoluendo et attenuando ad tranſitum per venas abſorbentes et vaſa lactea in Mſeam adaptent eique commisceant.

5. per diuretica, ſ. quae vrinae ſe- et excretionem augent; ſiquidem, cum renum vaſa inter omnia ſecretoria fere ſint ampliſſima, per hanc viam optime quoque euacuentur partes craſſiores et viscidae; quorſum praeter ⊖ia media, herbarum esſentialia, et alia officinarum remedia pertinent et ▽ae, ſic dictae, medicatae leniores.

§. LII.

Dantur quidem alii adhuc, euacuandi humores, modi; aſt quia plerique fere ita ſunt comparati, vt vel nimium reſoluant exagitentque Mſeam, vel corpus nimium debilitent, et proprie materiae morbificae haud praeſtent euacuationem, merito ii a Medicis practicis ad profligandam febrim noſtram intermittentem non facile hodie adhibentur, niſi peculiare eosdem poscat indicans. Sic olim in opinione ſteterunt quidam, optime in febre Tertiana intermittente adhibendam VSionem esſe; non tantum, quia partium acriorum actiuiorum cum masſa totius imminuatur quantitas; quam praecipue, quia imminuto ideo motu progresſiuo imminuatur et inteſtinus, hinc et calor praeternaturalis, maxime in hac febrium ſpecie aegrotum adfligens. (§. 36, n. 4. 44.) Rarisſime vero, quia per ipſam eandem non poteſt non debilitari corpus, tuto adhibetur eadem, niſi in ſubiectis admodum calidioribus, vel inſigni et

manifeſta praeſente Plethora; vbi hic etiam euacuandi modus, (qui tamen magis ad mitigandam caloris vehementiam, quam ad remouendam materiam morbificam adhibetur,) non ſolum non omitti debet, ſed maxime etiam eſt neceſſarius. Quae Vſio, ſi indicatur, vſum omnino praecedere debet euacuantium (§. 51.) recenſitarum; ne, acrioribus iisdem prius adhibitis remediis, Plethora forte quieſcens commoueatur et grauiorum inde excitetur malorum ortus.

§. LIII.

Tertiam quod adtinet indicationem, (§. 49, n. III.) quoniam praecipue noua materiae morbificae generatio et augmentum dependet a partibus, naturaliter excernendis, noxiis, tam in ipſa Mſea, quam primis viis retentis et accumulatis, (§. 33.) huic quidem etiam inſeruient indicationi ea, quae prima poſtulabat atque ſecunda: (§. 50. 51.) ſpeciatim vero noua materiae morboſae impeditur generatio:

1. per diaetam conuenientem, ſiue vſum decentem rerum non naturalium; quem ad finem praecipue commendari aegroto debent:
   a. Aer temperatus, non frigidus, nec humidus, ne perſpiratio laedatur Sanctoriana, hinc partes acres alcalicae remaneant, nec inſpiſſentur humores.
   b. Motus corporis lenis, ſed frequens, qualis pro viribus aegroti eſſe licet, qui, blandam etiam promouendo diaphoreſin, ſalium acrium retentionem impedit, leniterque reſoluendo Mſeam, viſcidarum partium prohibet cohaeſionem, (§. 33. n. 1.) quas nimia alias inferre iis quies poteſt.
   c. Moderatio in aſſumendis alimentis et abſtinentia ab omnibus cibis acribus, viſcidis, craſſis, crudis

dis et duris, qualia ſunt farinacea non fermentata, leguminoſa, fumo indurata, piſces, flatulenta, carnes animalium vetuſtorum etc. quia a nimia ciborum copia vel a qualitate peccantibus adſumtis, ad eadem decenter mutanda vires concoctrices debiles et vitiatae minime adhuc ſunt aptae, hinc ea in ſpontaneam et vitioſam abeunt reſolutionem vel fermentationem vel putrefactionem vel corruptionem.

2. per medicamenta, et quidem praeter dicta (§. 50. 51.):

a. per ea, quae, ſuccurrendo viribus concoctricibus debilibus, digeſtionem ciborum iuuant in ventriculo chylificationemque meliorant; quorſum generatim referenda ſunt et ea, quae ſub nomine Stomachicorum in materia medica veniunt, et omnia amaricantia: ſpeciatim vero ⁓ ⌽ dulcis cum Eſſ. cort. aurant. vel carminatiua vel aliis eiusmodi mixtus, ad gtt. xxxx - L tempore aſſumtionis ciborum exhibendus; vel elixirium ſtomachicum ſ. viscerale Ill. Hoffmanni, quale paratur ex extractis amaris, vt Abſynth. Gentian. Card. benedicti, Cent. min. Trif. fibrin. in vino hiſpanico vel alio generoſo ſolutis, cuius loco, vel in pauperibus, vel defectu vinorum, ſubſtitui poſſunt ∇ae Sℓtae appropriatae, ſtomachicae, tonum ventriculi et inteſtinorum augentes, vt ∇ Sℓta Cinnam. Cinn. cydoniat. Menth. Meliſſ. card. ben. etc. quorum proportio ita ſe habeat, vt Extractorum ſingula ʒß - ʒj ſoluatur in vini vel aquarum Sℓtarum ℥j, cuius ſolutionis Cochleare j vel ante, vel poſt, vel inter aſſumenda propinetur alimenta. Porro huc referendi ſunt ℥es ſtomachici aromatici leniores vel Trageae ex ſpeciebus ſtomachicis cum ſaccharo ad pondus

pondus omnium paratae, et alia huius commatis, quae varia pro vario aegri temperamento, maiori vel minori febris vehementia et aliis circumſtantiis apte eligantur.

b. praecipue per ea, quae partes ſolidas a ſpasmodica conſtrictione debilitatas roborant, ipſasque ideo et fibras ad ſpasmum reddunt ineptas. Quamuis enim ſatis diu vſurpata fuerint corrigentia, euacuantia et omnia (§. 49.) hucusque enarrata remedia, ſaepe tamen ſemper rediisſe febrem, hinc nouam pro nouo producendo paroxysmum ſemper generatam fuisſe materiam, niſi mox dicta demum adhibuerint remedia, Celeberr. Practicorum cum doceant ſcripta, magnum ſane etiam in curanda febri noſtra in eo verſatur momentum. Haud debilis quidem ipſorum horum cognita eſt copia, quorum plurima, hic vſurpanda, in materia medica ſub Medicamentorum febrifugorum nomine veniunt; inter illa tamen optimum fere, ſatis tutum, certum ac fere ſpecificum, in profliganda febri hacce, esſe Corticem Peruuianum ſ. Chinam chinae, prudenter vſurpatam, eadem haec Virorum Celeberr. optimorum Practicorum comprobauit experientia, dum, virtute ſua amara, balſamica, reſoluente et leniter adſtrictiua, contractionem vaſorum iuuando, ſe - et excretiones, hinc partium noxiarum expulſionem promouet, et ita materiam morbificam ſub nimia alias quiete vaſorum generandam impedit, nec non, fibras ad ſpasmum reddendo ineptas, ortum prohibet paroxysmi, qui, vaſis iam debilitatis, a longe minori etiam, ac antea, iam produci poterit quantitate materiae morbificae. Quantum vero ſalutare

lutare praeſtansque laudatus cortex, ſi is ſit genuinus, in profliganda febri noſtra eſt remedium, decenti quando hic vſurpatur tempore; tantam etiam ſane noxam is pariter, ac alia eiusmodi medicamenta, inferre valebit atque periculum, ſi, nondum correctis ſatis et euacuatis craſſioribus materiae morbificae partibus, adhibetur. Quamuis enim augendo vim pellentem ſe - et excretiones inde ſalutariter promoueri poſſint, ſi apta ad easdem eſt materia excernenda; quomodo hae tamen contingere poſſunt, quamdiu ad excretiones aptitudinem nondum adquiſiuit eadem? Praeſentibus ideo adhuc crudioribus materiae morbificae particulis, hae dum tardius et difficilius in vaſculis iam mouentur minimis, adſtrictis his, multo difficilior adhuc redditur illorum tranſitus, vnde viſcerum facillime inferuntur obſtructiones, hydropes, atrophiae, icteri, cachexiae, inflammationes, febres lentae et hecticae et innumera alia a materiae morbificae viſcidae et acris retentione pendentia mala; quae, quo fortiori medicamenta talia vi gaudent adſtrictiua, eo inferuntur omnino facilius. Tum igitur demum ſalutariter adhibenda eiusmodi erunt remedia, quando certi ſumus, crudiores eas materiae morbificae partes ſufficienter eſſe ſubactas et eliminatas, nec ob diaetam aegri peruerſam nouas eiusmodi eſſe productas atque materiae morbificae et quantitatem et qualitatem, quae ſemper adhuc generatur, non tantum per ſe, quam ob vaſa debilitata eius eſſe efficaciae, vt paroxysmum ſemper adhuc inducere valeat:

quibus ſub circumſtantiis laudatus cortex aliquoties de die ad ℈j - ʒß - ℈jj pro re nata, in forma ℥eris, vel ſub forma Electuarii, praeeunte nobis Illuſtri Hoffmanno, vel in Decocto vel infuſo a Celeb. practicis adhibetur, haud tamen ſimul omisſis iis, quae materiae febrilis correctionem praeſtant lenemque euacuationem (§. 50. 51.). Magna etiam hunc in finem a doctiſſimorum Medicorum multis laude adficitur Crocus ♂is aperit. Stahlii, praeſertim ſi incidentibus ſimul iungatur et reſoluentibus. Atque eadem mox dicta in huius etiam obſeruanda erunt vſu, quamuis iſte, ſi rite eſt paratus, dicto adhibitus modo, lenior esſe videatur cortice. Etiamſi vero ſaepe febres intermittentes non, niſi eiusmodi vſurpatis, ſubigantur medicamentis, haud raro tamen Tertiana, praeſertim mitior, ſine hisce etiam cedit remediis, modo caetera prudenter vſurpentur indicata.

§. LIIII.

Quartae vt conformiter agamus indicationi, (§. 49. n. IIII.) ſymptomata in paroxyſmo, ſi vrgent, non omnia peculiaribus ad eadem mitiganda egebunt remediis. Cum enim vel ob frigus eiusque cauſam, vel ob calorem, ſi horum adeſt vehementia, ſint grauia, iis mitigatis, mitigabuntur etiam reliqua eadem concomitantia ſymptomata. (§. 21-30.)

§. LV

§. LV.

Frigus itaque vt aegro reddatur tolerabilius, primum ac notisſimum profecto erit remedium, quod ſtatim in lectum ſe conferat aegrotus, ſtragulisque probe tegatur. Medicamenta enim ſic dicta calefacientia minime ad frigus remouendum eſſe adhibenda, ſupra (§. 14.) iam monuimus, dum motum quidem augent progresſiuum, conſtrictionem ſpasmodicam tamen et ſtaſin (§. 18.) non ſtatim remouent, hinc frigori vix ante tempus, quo per ſe ceſſat, finem faciunt, ſubſequentem vero calorem, ob ſalia acria actiua maiori quantitate in ſanguinem delata, intolerabilem reddunt. Talia potius, pro mitigando frigore, commendanda erunt remedia, quae ſine immisſione ſalium acriorum actiuorum corpus reddunt calidum, ſimulque conſtrictiones ſpaſticas remouendas apta ſunt, quorſum de commendatis a Celeberr. Medicis pertinent inter alia; lapides calefacti pedibus et abdomini adplicandi; vel quod adhuc melius, aeris per ferrum candefactum calefacti ope follis cuiusdam peculiaris immisſio; imponenda ventri veſica bouina, aqua calida repleta, et ſi frigus hoc admodum ſit validum, vt apoplexiae etiam nobis det metum, (quale tamen raro in noſtra febrium intermittentium ſpecie aderit) frictiones pannis calidis inſtituendas cum inunctionibus ex 🜍 C᷈ato et aliis ſpiritibus linimentisque neruinis, quippe quibus recenſitis partim conſtrictio vaſorum ſpasmodica ſimul imminuitur, partim ſecretio ſpirituum maxime tunc temporis ſuppreſſa (§. 21.) excitatur egregie.

§. LVI.

Ipſis his igitur quoniam mitigantur et reliqua ſtadii huius ſymptomata, vrgere quae posſunt, cum ob cauſam

 adſint

adſint frigoris, (§. 18. 21. ſeqq.) non opus eſt, vt peculiariter de iis remouendis agamus. Hoc tamen adhuc adnotandum videtur haud inutile, quod, ſitis (§. 24.) ſi adſit tempore frigoris, quamuis aeger ingens bibendi habeat deſiderium, haud tamen ad ſymptoma hoc auertendum, vti alias, potus eidem porrigendus ſit copioſus, ne, quantitate fluidorum aucta, maius adhuc viribus mouentibus cordis et arteriarum ponatur impedimentum, dum praeſens ab iisdem hoc ſtadio iam difficulter moueatur moles. (§. 21.) Multo minus potus adſumatur frigidus, ne conſtrictio vaſorum et inſpisſatio fluidorum (§. 18. 19.) augeantur; ſed, ſi quis concedatur potus, is tenuis, parua tantummodo quantitate, ſenſim, et non niſi calidus vel ſaltim tepidus adſumatur.

§. LVII.

Calor vero nimius cum ſymptomatibus ex eodem oriundis (§. 27-30.) optime profecto mitigabitur generatim per talia, quae ⊖ium ⊔icorum in ſulphureas partes actionem temperant nimiam; euacuationem tamen criticam, ſubſequente ſtadio ſuccedendam, (§. 31.) non impediunt, et quidem ſpeciatim:

1. per quietem corporis in lecto, tecti quidem, non vero onerati nimium ſtragulis. Sic enim imminuitur motus progresſiuus, hinc et inteſtinus et ab hoc dependens ⊖ium alcalicorum in partes 🜍eas actio.

2. per potum, pro ſitis ſimul vehementia ſufficientem, tenuem, temperantem, frigidiuſculum, non frigidum, non magna copia ſimul, ſed repetitis vicibus, ſaepius, moderatisque adſumendum hauſtibus, vt ſalium actio

actio quidem temperetur alcalicorum et motus particularum ignearum compeſcatur nimius, attamen non ſimul ab eodem ſubito alteretur Mſea. Quem ad finem inſeruiunt ſpeciatim potulenta aquoſa, decocta vel Ptiſanae ex hordeo cum Scorz. et C. C. paratae, decoctum panis, auenaceum, ſerum lactis, decoctum ceraſorum acidorum exſiccatorum et alia eiusmodi potulenta diluta ac temperantia.

3. per acidula, quippe quae, ſalia alcalica inuertendo et in 🜔ia media mutando, actioni eorundem effrenatae obſtant; quorſum inter alia referenda ſunt fruſtula citri, potui (n. 2.) iniicienda, vel liquores aciduli, chimice praeparati, vt ⌒ 🜕 dulcis, R̄ae bellidis, Roſar. Aquileg. etc. quorum v. g. circiter gutt. xv - xx. inſtillentur Menſurae j potus laudati, (n. 2.) vel etiam plus, pro potus adſumendi copia, ſymptomatumque vehementia, vel ad gratiam potui conciliandam addi etiam eidem poſſunt Syrupi aciduli, vt Syrupus acetoſitat. citri, Berberis, Ribeſior. vel ceraſor. acidorum etc.

4. per ♁res temperantes 🜕roſos, (§. 50, n. 1.) quae ſerum paululum fundendo eo melius ſalium actiuiorum praeſtant diluitionem; quare et 🜕 ad ℈ß -- ℈j cuilibet Menſurae potus (n. 2.) enarrati iniicere, haud erit ineptum.

§. LVIII.

Et his quoque enarratis (§. praec.) reliqua huius ſtadii vrgentia optime mitigabuntur ſymptomata. Modo in dolore capitis vehementi (§. 30.) externe etiam commendant Vnguent. alabaſtrinum temporibus illinendum,

dum, vel cataplasma, ex pulpa Nucl. Perſic. cum ▽ roſar. confectum, capiti adplicandum.

§. LVIIII.

Quintae denique vt etiam ſatisfiat indicationi, (§. 49, n. V.)

1. excretio critica, ſub fine frigoris ſe manifeſtans, nimirum vomitus et diarrhoea (§. 25.) optime iuuantur potu tenui, aquoſo, tepido, quippe qui non ſolum, materiam bilioſam, in primis viis habitantem, diluendo, irritationem eiusdem cohibet dolorificam, ſed et ſimul, vehiculum praebendo ſaburrae euacuandae, eiusdem excretionem facilitat.

2. ea vero euacuatio critica praecipua, quae tertio paroxysmi ſtadio, ſiue ſub fine contingit circuitus, et maxime per ſudorem ſe manifeſtat, (§. 31.) promouetur et adiuuatur potu calido, paululum reſoluente, vt infuſo HBae Theae vel aliarum herbarum et ſpecierum leniter diapnoicarum vel decocto Scordii cum Scorzonera calido, etc. quorum tunc indicatur vſus, quando calor et ſymptomata ex eodem prouenientia paululum mitigari incipiunt et mador in cute ſe manifeſtat; quippe quibus ipſis adhibitis ſalia actiua, quum fiant diluta, eo melius ad euacuationem adaptantur, et ſudori huic critico redditur materia. Minime vero prouocetur medicamentis ſic dictis bezoardicis fortioribus, vel exprimatur nimium ſtragulis, ne ſudor excitetur nimius, et maior partium Mſeae ſanorum, quam morboſorum fiat excretio. In

frigi-

frigidioribus tamen ſubiectis esſentia quadam leniter diapnoica vti etiam licebit, vt MR. S. cum Esſ. Scord. vel aliis (§. 51, n. 4.) ad gttl. xxx-xxxx propinandis. In his enim non metuenda erit nimia Mſeae exagitatio atque ſudoris nimia excretio, ſed potius vis pellens, pro ſtatu naturali ſiam debilior atque deficiens, augenda erit et excitanda.

§. LX.

Haec igitur ſunt, quae tam de febribus intermittentibus in vniuerſum ſpectatis, quam de Tertianae ſpeciatim et Theoria et praxi explicare conati ſumus. Multa quidem adhuc de omnibus his quoad Theoriam pariter ac cautelas practicas monenda ſuperesſe, lubentes fatemur; at cum omnia haec, ſi fuſius abſoluantur, peculiarem quendam requirant tractatum, ſpeciminis inauguralis vero excederent limites; ſufficiat protulisſe, quae nobis viſa fuere, praecipua. Hoc tantum adiiciendum haud videtur ſuperfluum, cum facillime a diaetae vitiis, etſi paruis, recrudescat curatus iam morbus noſter, omni opera eo esſe ſtudendum, ne reuertatur idem; dum ob priorem morbum iam debilitato aegro multo difficilius medetur ac antea. Qua de re aliquot adhuc per ſeptimanas continuetur cum corrigentibus, (§. 50.) diaphoreticis, (§. 51, n. 4.) ſtomachicis, chylificationique meliori inſeruientibus, (§. 53, n. 2, a.) interpoſitis omnino lenibus laxantibus et aperientibus, vt ⊖e Sedliz. Anglic. etc. Rhabarbarinis et Pilulis balſamicis: Prae omnibus vero diaetam obſeruet reſtitutus iam e morbo aegrotus ſtre-

nuam, cibis non repleat ventriculum, ſed parua quantitate alimentis vtatur blande nutrientibus, facile reſolubilibus, craſſa vero, dura, cruda, viſcida et omnia (§. 40, n. 2.) recenſita cane peiora vitet et angue; motum inſtituat ſufficientem, attamen non nimium; prae omnibus vero aliquod poſt profligatum morbum per tempus aerem fugiat et humidum et frigidum, hinc omnem et nebuloſum, matutinum ac veſpertinum, vt quouis modo moleſta ea pariter ac odioſa praecaueatur Recidiua.

F I N I S.